Digitized by Google

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
42
6 A
40
FONDO EBORENSE

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Ad simplicem usum Patris
Fratris Nicolai Sisini a Valen:
tano Min: Obs: 1821.

MEMORIALE
VITAE
SACERDOTALIS

EDITIO QUARTA

Diligenter et accurate ab Auctore emendata, plurimum aucta, et insigniter locupletata.

ROMAE

CIↃ . CICC . XCVII

APUD ANTONIUM FULGONI.

Superiorum permiſſu.

AD VENERANDOS CHRISTI MINISTROS

SACERDOTES CATHOLICOS

EDITORIS PROLOQUIUM.

Hujus-ce aurei Libelli devotissimus Auctor (D. CLAUDIUS ARVISENET SACERDOS GALLUS, ECCLESIAE LINGONENSIS CANONICUS ET ARCHIDIACONUS) è Patria innocue exul, opus suum in exilii otio, privatae suae aedificationi inserviendum exaraverat; ac proprio dumtaxat usui destinarat. Ast cum ad manus quorumdam Episcoporum, ac Presbyterorum concivium nostrorum, alteriusque gentis tum Saecularium, tum Regularium Sacerdotum qui certatim caritatis oleo exulum gallorum mala plurima, gravesque aerumnas tam laudabiliter linivere, manuscriptum suum devenire annuerit auctor, statim omnium consiliis, precibus, obsecrationibus

obtemperare fere coactus, ut typis evulgaretur assensum tandem praebuit; et revera praelo commissum fuit *Lucernae* anno 1794.

Libellum vero vir humillimus non reputans dignum qui ad venerandos Sacerdotes exterarum nationum dirigeretur, ad solos concives nostros exules ipsum direxit; rectissime cogitans quod si domesticos confidenter, admonere liceat, exteros qui peritissimis in scientia Sanctorum abundant Magistris ac divitiis spiritualibus affluunt, potius audire ac consulere expediat.

Quidquid sit de devoti auctoris humili proposito sane commendando, quartam hanc editionem, Romae autem primam longe auctiorem ac locupletiorem omnibus et singulis venerandis Sacerdotibus communionem cum Sede Apostolica habentibus confidenter ac demisse offerimus, benigneque ab ipsis esse excipiendam sperare ju-

vat cum non levi emendationum atque additionum copia omnibus praecedentibus praestet. Ab ipsomet Egregio Auctore ad nos transmissae sunt tam correctiones quam additiones quae in editionibus tribus fere uno eodemque tempore evulgatis, *Lucernae*, *Ferrariae* et *Constantiae* non reperiuntur.

Mirabiliter crevit aureus Libellus sub uberrimo Devoti auctoris calamo: nam editio prima *Lucernae* praelo mandata, ut superius diximus, anno 1794, et Ferrariae recusa 1795, quinquaginta tantum capita numerabat. Editio autem eodem anno 1795, *Constantiae* ab ipsomet auctore evulgata, ad septuaginta capita prolata est; tandem haec nostra Romana novis undecim ditatur capitibus quorum primum sese offert: *De Vocatione ad statum Sacerdotalem*. Alia passim in decursu operis seminata et addita ad ipsius majorem perfectionem summopere conferunt,

dum felices pii auctoris ultimos conatus valde commendant, dexteritatemque summae manus operi impositae, plane et aperte ostendunt.

Nobis in animo erat Praefationem singularem ad solos concives nostros exules ab auctore directam de novo in integrum reproducere tanquam Cleri Gallicani constanstantiae, fidelitatis et pietatis monumentum; sed a praestantibus viris suasi ut omnibus et singulis Ecclesiae Catholicae venerandis Sacerdotibus nostram hanc Romanam editionem addiceremus; omnes et singulos Christi Ministros cum his aureis verbis ex praefatione auctoris fideliter depromptis reverenter alloquimur, dum ipsis egregium Libellum diligenter et accurate recusum porrigimus.

„ Vos scitis, optimi et Vene-
„ randi Sacerdotes, quid dixerit
„ Deus noster et aeternus Rex
„ Jesus: Ille solus qui persevera-

„ verit usque in finem, salvus erit.
„ Quid prodesset igitur nobis coe-
„ pisse, si ad culmen non perve-
„ niremus? Misimus manum ad
„ aratrum, ne respiciamus retro;
„ sed Deo gratias agentes, qui
„ eripuit nos de potestate tene-
„ brarum, et transtulit in regnum
„ Filii dilectionis suae; oremus
„ ut qui, coepit in nobis opus
„ bonum, perficiat usque in diem
„ Christi Jesu; et ejus qui erga
„ nos adeo dives est in misericor-
„ dia, gratiae cooperantes, cum
„ metu et tremore salutem no-
„ stram perficiamus. Justi, adhuc
„ justificemur; sancti, adhuc san-
„ ctificemur, ne cum aliis praedi-
„ caverimus, ipsi reprobi efficia-
„ mur „.

„ Videamus ergo, et caveamus,
„ ne aurum templi obscuretur,
„ ne color optimus mutetur, ne
„ Lapides Sanctuarii dispersi vir-
„ tutis formam amittant . . . Idcir-
„ co liceat mediocritati meae,

„ Fratres optimi et Venerandi,
„ leve hoc exilii mei opus vobis
„ offerre; in quo praecipua Re-
„ gularum Sacerdotalium capita
„ memorantur. Sentio quidem et
„ candide confiteor, opus esse sco-
„ po nimis impar... minus eru-
„ ditionis habens, minus pietatis
„ spirans. Verum, animo bene-
„ volo, parcet certius vestra be-
„ nignitas. O si scirem loqui!
„ O si verba mea, quasi facula
„ arderent, et possent esse virtu-
„ tis incentiva sanctitatisque sti-
„ muli!... Sed quod inanis non
„ potuit homo, efficiat Potentis-
„ simus luminum Pater, qui facit
„ ministros suos ignem urentem„.

REIMPRIMATUR

Si videbitur Reverend. Patri Magist. Sacri Palatii Apostolici.

Fr. Xav. Passeri Archiep. Lariss. Vicesgerens.

APPROBATIONES.

Jussis obtemperans Rmi Patris Mag. Sac. Pal. Apost. attente, ac perlibenter expendi Opus, cui titulus: *Memoriale Vitae Sacerdotalis &c.*, illudque nedum catholicae fidei veritatibus prorsus conforme; sed et ad Ecclesiastici Hominis vitam recte, sancteque instituendam apprime utile prudens sciens affirmo: maxime cum doctus aeque ac religiosissimus ejusdem Operis Auctor stylo, ac verbis ex sacris Libris fere ubique depromptis, necnon clara, ordinataque methodo utatur. Quare dignissimum arbitror, quod typis commendetur.

Laurentius Canon. Lauri Reviser.

Ex commissione Rm̃i Patris Mag. Sac. Pal. Apost. sedula attentione perlegi Opusculum inscriptum : *Memoriale Vitae Sacerdotalis &c.* et quantum in eo Auctoris ingenium, Scripturae Sacrae phrasi semper loquentem sum admiratus tantum omnium Sacerdotum utilitati conferre plurimum censeo si typis demandetur.

Fr. Thomas Augustinus Pellini
Ord. Praed. Lect. et Revisor.

REIMPRIMATUR

Fr. Vincentius Pani Ordin. Praedicatorum.
Sacri Palatii Apostolici Magister.

ERRATA.

Pag. lin.

5. 12. sint . quales *lege* sint quales
8. 13. Fili *lege* Filii .
38. 26. Vortis *lege* Mortis .
64. 11. meo *lege* mea. lin. 16. varo *leg.* vero.
67. 25. adversem *lege* adversum .
79. 7. vitute *lege* virtute .
82. 15. Mariam *lege* Maria .
85. 8. Sacerds *lege* Sacerdos .
87. 7 trabente *lege* trahente .
104. 10. inuriae *lege* injuriae .
108. 23. incostans *lege* inconstans .
123. 24. fiduciliater *lege* fiducialiter .
126. 14. sine *lege* sinu
139. 7. horat *lege* hora
158. 19. me *lege* ne .
213. 25. Salvendas *lege* Salvandas .
244. 24. fili *lege* filii .
257. 8. qaaesivi *lege* quaesivi .
270. 16. peccato *lege* peccato terrae .
272. 28. coviviis *lege* conviviis .
291. 10. tibi *lege* tibia .
331. 11. illa *lege* ille .
336. 14. cur non , *lege* cur ut non .
347. 19. alias *lege* alio .
359. 11. debeam *lege* debebam
460. 20. contina *lege* continua .
467. 14. nobis *lege* donis .

MEMORIALE
VITAE SACERDOTALIS

CAPUT I.

De vocatione ad statum Sacerdotalem.

1. Domine virtutum, quam dilecta tabernacula tua! Deus meus, concupiscit et deficit anima mea in atria tua.

O quam bonum et quam jucundum est hostiam Sanctam tibi in tabernaculo tuo immolare, cantare et psallere tibi!

Quam bonum est enarrare justitias tuas, et praedicare poenitentiam in remissionem peccatorum!

Quam bonum est docere gentes et baptizare, daemones ejicere, infirmos curare, servos tuos et ancillas tuas multiplicare, perficere, sanctificare!

Quis mihi det, Deus meus, ut sic possim tibi universum mundum subjicere, et efficere ut omnis terra adoret, et psallat tibi; ut omnis caro Nomini Sancto tuo benedicat; ut omnis creatura tibi serviat?

2. Verum est, fili: si Sacerdotium desideras, bonum opus desideras: grandem dignitatem ambis: sed diligenter attende; grandis haec dignitas grandi etiam exponit ruinae.

Idcirco quantumcumque ardenter ad ipsam animus tuus anhelet, noli praesumere tibi hunc honorem, nisi a me voceris tanquam Aaron.

Nec iste, nec Apostoli mei me elegerunt: sed ego elegi eos et posui, ut fructum afferrent in patientia.

Meae sunt oves, meum est ovile. Ego ipse sum ostiarius: mei est aperire.

Ille solus cui aperuero, recte ingredietur, secure egredietur, et pascua inveniet.

Qui vero aliunde quam per me introierit, ille fur et latro erit: et sibi, et ovibus meis nocebit.

Utique, fili, qui post me vult venire, ut piscator hominum fiat; sciat hoc non esse in potestate volentis, neque currentis, sed in arbitrio mei miserentis et eligentis.

3. Pave, pave ad Sanctuarium meum, fili. Quantumlibet mundus sis, si non vocatus accedis, temere accedis, Ozae crimen incurris, ejusque damnationi te exponis.

Et vere, fili: nonne Sacerdotii onus, onus est angelicis humeris formidandum?

Et quomodo illud portare poteris, nisi ego manum meam supposuero; nisi gratiis meis specialibus te confortavero?

Nescis, fili, quod ego nonnisi iis qui a me vocati sunt, talia auxilia promitto?

Noli igitur eos imitari, qui non a me, sed a semetipsis exaltantur.

Nescio eos, fili: ego cum eis non aedifico; et idcirco in vanum laborant aedificantes.

Ego ovile eorum non custodio: idcirco frustra vigilant custodientes illud.

Ego ut rete jaciant non jubeo: idcirco per totam hujus saeculi noctem laborantes nihil capiunt.

Ego eos contra bellantes non protego: idcirco cadunt et infirmi sunt; idcirco peccant et pereunt.

4. Satage ergo, fili, ut certam tuam vocationem et electionem facias.

Si de hoc non cautissime curaveris, per totam vitam tuam in anxietate eris: nesciens utrum per ostium introieris; utrum juxta Dei tui voluntatem progrediaris;

Utrum à Deo tuo in arte artium adjuvandus sis; utrum à Deo tuo non repellaris, ne Sacerdotio ipsi fungaris.

Si vero de vocatione tua securus ad Sacerdotium accesseris, quietus et tranquillus inter media pericula ambulabis: sciens quia ego eos quos vocavi dirigo, duco et defendo.

Laetus et fidelis munera tua adimplebis: credens quia haec faciendo, quae mihi placita sunt semper facies.

5. Verum est, bone Domine: velle tibi in Sacerdotio deservire, adjacet quidem mihi. Perficere autem non inveniam, nisi tu dixeris, invitaveris et praeceperis.

Dignare ergo mihi voluntatem tuam notam facere: Deus meus, ostende mihi utrum me elegeris.

6. His, fili, mediis meam voluntatem cognoscere, tuamque vocationem discernere poteris.

Ante omnia quaere, pete, pulsa: id est, me Patrem luminum suppliciter, ardenter et perseveranter invoca, ut intellectui tuo detur sensus.

Secede paulisper in solitudinem: ut ibi serio recollectus, et à terrenis segregatus, devotius me interroges, et attentius responsa mea audias.

Et quoniam ego homines per homines ducere soleo, tu à Sapiente sanctoque viro consilium perquire.

Huic vero sapienti, ut securius judicare et definire possit, tuae conscientiae latebras omnes, actus, passiones, desideria, intentiones candide expande.

Nihil omnino, fili, prae oculis habe, nisi gloriam meam et salutem tuam: haec purissima gressus tuos dirigat stella.

Perpende quem statum coluisse voluisses, si jam modo moriturus esses.

Diligenter observa omnes mentis tuae dotes, omnes cordis tui inclinationes: et vide utrum tales sint. quales sanctus et sublimis sacerdotii status exposcit.

Cave praesertim ne te Satanas decipiat, tibi ex industria suadendo ut presbiteratus bonum quidem opus ambias; sed turpis lucri gratia, otii cupidine, dignitatis et sublimitatis appetitu.

Propter haec enim multi sanctuarium ingrediuntur, sed ad suam perniciem.

7. Si autem, re sic mature perpensa cognoveris te à gravibus criminibus, quae statui sacerdotali sanctissimo repugnant, esse immunem; vel ob asservatam feliciter innocentiam, vel ob peractam rite poenitentiam;

Si videris te à prudentibus et sanctis viris judicari ad ecclesiastica munia aptum et idoneum;

Si ad ea obeunda te sentiveris dispositum, et interiori inclinatione ductum;

Si perspexeris te ad Sacerdotium pura, non vitiosa aut terrena trahi intentione;

Si te praesertim Praelatus tuus vocaverit, et in ministerium assumere voluerit, aut saltem tibi ad sanctuarium trepidanti dixerit, ut fiducialiter ingrediaris:

Tunc, fili, scito tibi voluntatem meam manifestam esse: tunc prompte, et sine ulteriori consultatione aut dilatione vocationi tuae te redde:

Humiliter quidem; sed quamtumlibet prae sancto timore invitus sis, noli pertinaciter recusare.

Accede, fili, accede confidenter: sciens quia ego qui te vocavi, ad tuam tenuitatem et exiguitatem respiciam.

Ne desperes, neque deficias: at praesume, non de te, sed de me, qui operabor in te.

8. Si vero, fili, jam sancti Sacerdotii honorem sumpsisti; et intra te recogitans, observas te temere Sanctuarium meum fuisse ingressum:

Vel quia puritatem et sanctitatem congruam non habebas; vel quia requisitis dotibus carebas; vel quia temporalium

appetitu, non gloriae meae siti trahebaris:

O fili! dole, ingemisce: fac dignos poenitentiae fructus: quod defuit supple: cuncta deinceps ad Dei tui gloriam dirigens, et in timore et cum amore exequens.

Confide, fili; ego qui neminem volo perire, faciam tecum misericordiam.

CAPUT II.

De Statu Sacerdotali.

1. Quid est homo, fili, et ad quid conditus est? Utique ut Deum timeat, mandata ejus observet, illum adoret, illi soli serviat.

Quid es tu, fili? Ad quid Sacerdos fuisti constitutus? Ad hoc certe, ut in illo praecelsissimo opere hominibus praeesses, me ab illis timeri, adorari, coli faceres. O grandis dignitas! O sublime ministerium!

Ego in coelo, fili, homines super terram; et tu medius inter me et eos, ut illos in nomine meo dirigas et ipsi tibi tamquam mihi obediant.

Ego Deus creator, homines creaturae

meae ; et tu super eos positus, ut satagas eos mihi reddere quod mihi debent.

Ego luminum pater, homines in tenebris ; et tu medium candelabrum, ut per te eis lux vera luceat.

Ego donorum coelestium largitor, illi egentes, et tu dispensator, ut unicuique per te gratia detur.

Ego Dominus Sanctissimus, isti peccatores, et tu mediator, ut per te mecum reconcilientur.

Ego Pater Unigeniti Filii in aeternitate, homines fili adoptandi in tempore ; tu pater in terris, ut per te adoptentur in coelis.

Ego sacrificiis honorandus, homines victimam holocausti non habentes ; tu medius victimam sanctissimam in promptu habens, Filii mei Corpus, ut juribus meis hominumque debitis satisfacias.

Ego ignis urens, homines in terra accendendi ; et tu medius per quem accendantur.

Ego summus medicus, homines infirmi ; et tu medius minister, fomenta mea possidens, ut ea unicuique distribuas.

Ego tandem, Dominus gregis in coelis ; grex in terris ; tu pastor super illum, ut per te proficiat ut multiplicetur.

2. Non est, Fili, non est sub coelo sublimitas, aut potestas, quae tuae possit comparari. De diis es, de filiis Excelsi.

Humana est dignitas Regis, divina Sacerdotis. Decus et potentia Regem morientem relinquunt; morientem Sacerdotem sacerdotium in aeternum manet.

Imperat Rex hominibus, Deo ipsi Sacerdos. Vincit hostes Rex fortis; vincit mundum Sacerdos verus.

Potest Rex corpus in carcerem mittere vel alias punire; potest Sacerdos ipsam animam ligare.

Potest Rex captivos a corporis vinculis solvere; potest Sacerdos ab ipsa diabolica tyrannide, a peccatorum laqueis animas expedire.

Nihil potest Rex, nisi in terra; potest Sacerdos vel in ispo coelo. Thesauros mundi Rex possidet, thesauros coeli Sacerdos tenet.

Mittit Rex ad Reges munera; extollit ad Deum coeli Sacerdos sacrificia. Aurum Rex offert; Deum offert Sacerdos.

Coelum vox ejus penetrat, inde gratias deducit; ibi Deum placat et flectit, ibi jus super homines dicit.

Praecedit quinimo sententia ejus sententiam Dei; quod remiserit, vel reti-

nuerit in terra, remissum vel retentum erit in coelo.

O fili! agnosce dignitatem tuam; et divinae consors factus naturae, noli in pristinam vilitatem degeneri conversatione redire.

3. Domine, quis sum ego, ut memor fueris mei, et tanta mihi contuleris?

Ecce ego, cum sim pulvis et cinis, factus tum homo Dei, Minister tuus, secundum dispensationem gratiae tuae.

Pater amantissime, quantum tibi amorem debeo pro amore isto quo me sic prior dilexisti, sic elegisti, sic consignasti!

Quantum humiliare me debeo pro tanta dignatione qua me egenum de pulvere suscitasti, ut solio gloriae tuae assisterem, vices tuas gererem, loco tui judicarem, solverem et ligarem!

Ego vilis, ego impurus, ignarus, imperfectus, coecus, semper ad malum pronus, ego miserrimus debeo vices gerere infinitae majestatis tuae!

O Deus meus, ipsa sanctitas, sapientia, bonitas, gloria et immensitas! Cum sim taliter exaltatus à te, quomodo non essem summe confusus et conturbatus?

Conforta me, Domine, gratia tua, ut possim tantum onus digne ferre.

Dignare, Deus meus, sic animum meum interius componere, sic mores meos exterius dirigere, ut verus fiam sanctissimi Filii tui imitator, representemque vere fidelibus illum qui misit me, sicut tu miseras eum.

4. Eris imitator illius, fili, si, sicut ille voluit et conatus est, tu velis quoque et coneris invenire, et salvum facere quod perierat.

Veni itaque, fili, veni, et sequere eum: veni, et esto post eum piscator hominum.

Evangeliza pauperibus; surdos fac audire verbum; caecos fac videre lucem veram; mutos fac loqui Dei laudem; claudos fac currere mandatorum viam; errantes reduc in semitas justitiae, fac detur gloria Deo, et salus hominibus.

Filius meus sanguinem pro eis fudit: tu pro ipsis te totum impende.

5. Dilata, fili, cor tuum. Omnes ad cognitionem veritatis et salutis convoca; omnes compelle intrare in domum meam, ut impleatur.

Inopem et divitem, nobilem et ignobilem, sapientem et idiotam, servum et dominum, masculum et foeminam, ad me sine distinctione trahere studeas.

CAPUT III.

De Necessitate Perfectionis in Sacerdotibus.

1. Fili, ecce sacerdos factus es: non alleviasti onus tuum: quinimo super sarcinam communem onus angelicis humeris formidandum suscepisti. Jam arctiori alligatus es vinculo disciplinae.

Ambula igitur coram me, et esto perfectus. Sanctus esto, quoniam ego sanctus sum, qui sanctifico te. Perfectus esto, sicut Pater tuus coelestis perfectus est.

2. Erras, fili, erras, si credis me ab illis tantum perfectionem expectare, qui per vota religionis omnia reliquerunt, se mihi consecrarunt, et absolute a mundo segregarunt.

Ipsi quidem perfecti esse debent: at cum jam non sint in mundo, nec amplius inter mundi scandala versentur, facilius se possunt immaculatos servare; sicque sine tam acribus bellis, tam violentis nisibus, possunt mihi in sanctitate et justitia deservire.

Tibi vero proficere volenti, majori diligentia opus est. In mundo es; inter media pericula versaris; hostes habes a

dextris et a sinistris: et tamen pertransire illaesus, permanere justus, imo in dies magis ac magis justificari et sanctificari debes.

Religiosi quidem ardere debent: tu vero Sacerdos, ardere et lucere.

Religiosi quidem vas suum debent in honore servare: tu vero, sal terrae, debes terram ipsam, id est homines, a corruptione praeservare.

Illi sibi sapere debent; tu vero, tibi et ovibus. Forma gregis ex animo esse debes.

Audi ergo, fili: dixi tibi et iterum dico: esto perfectus.

3. Domine, scio vere quod ipse stellae non sint mundae in conspectu tuo: quanto magis homo, putredo et vermis.

Quomodo ergo ita perfectus esse potero, sicut deceret ministrum tuum quotidie ad mensam tuam assistentem?

O quam purum os, quam mundum corpus, quam perfectum debet esse cor meum, ad quod tam frequenter ingreditur Deus ipse, ipsa puritas, ipsa sanctitas, ipsa altitudo!

Et quomodo non contremiscerem, Domine, quando recordor Aaronem sacerdotem veteris legis sanctum esse debuisse

et perfectum ; dum tamen ille ad arcam foederis tantum et vasa tabernaculi deputabatur : ego vero ad te ipsum, o Deus meus, ordinatus sum ?

Ille panes propositionis tantum, ego vero panem angelorum debeo non solum tractare, sed et conficere.

Ille tamen Aaron ad infima haec et egena elementa, ad umbras futurorum redactus, cum sua tribu a coeteris tribubus debuit separari.

Quanto magis ego, ad bona ipsa adumbrata, ad veritatem praefiguratam, ad ipsa Dei mysteria consecratus, debeo disparitate et sanctitate morum, a communi plebe segregari.

4. Ita est, fili : elegi te de mundo, segregavi te a mundo ; factus sum pars haereditatis tuae et calicis tui. In mundo es ; sed jam de mundo esse tibi non licet.

Popularibus igitur negotiis et cogitationibus ne intendas nullis te implices cupiditatibus ; nullis involvaris impedimentis.

Solum quae mei sunt cura ; cultui meo vaca ; rerum coelestium tractationi incumbe : conversatio tua in coelis sit.

5. Equidem in terris inter homines te

relſqui ; sed ad quid ? Attende , fili , ut illos salvos facias , ut in illis amorem meum accendas , ut ipsos gratia mea irriges , et tecum ad coelestia trahas .

In terra quidem es , sed de coelis es , ad coelum pertines ; imo coelum debes esse animarum ; ut sicut corpora per coeli materialis influxum vigent et foecundantur , ita per te animae vivant et in dies perficiantur .

Esto igitur ipsis coelum praecelsum , per contemplationem ; coelum amplum per caritatem ; coelum splendidum per sapientiam ;

Coelum regulare in motu per obedientiam ; serenum per constantiam ; foecundum per instructionem ;

Coelum coruscans per bona exempla ; liberale per misericordiam ; purissimum per sanctitatem .

Sicque Ego Deus coeli , ero Deus tuus , semper tecum ad quaecumque perrexeris : plantabis , rigabis , et ego incrementum dabo .

CAPUT IV.

De Possibilitate Perfectionis in saeculo.

1. Domine, audivi auditum tuum, et timui; attendi ad eloquia tua, et expavi.

Tu dixisti per filium tuum: esto perfectus sicut et Pater tuus coelestis perfectus est. O altitudo! Et quomodo potero ad eam pertingere?

Da mihi, Domine, pennas sicut columbae, et volabo. Sed si mihi relinquar, humiliata manebit anima mea, et conglutinatus in terra venter meus.

Quomodo, Domine, tot passiones, adversus animam meam continuo militantes perfringam? Quomodo tot vitia mihi undique parata et occurrentia superabo? Quomodo tot virtutes legi membrorum meorum repugnantes colam?

Ecce jubes ut in medio corruptionis sim purus; in medio honorum humilis; in medio divitiarum pauper; in mediis peccatis sanctus; in mediis hostibus invictus.

Jubes ut in mundo vivens de mundo

non sim; ut in terra degens de coelis sim.

Domine, audivi auditum tuum et timui: attendi ad eloquia tua et expavi.

2. Fili, ne terrearis. Verum est: Regnum coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.

Magnum quidem est onus sacerdotis, sed magna gratia imponentis. Ego Omnipotens imposui tibi onus; ego omnipotens juvabo te, ut ipsum facilius ferre valeas.

Numquid quidquam est mihi difficile? aut similis ero dicenti, et non facienti?

Hostes times? Ego sum Dominus exercituum. Pericula formidas? Ego eruo sperantes in me.

Abraham in Chaldaea protexi, Josephum in Aegypto, Loth in Sodomis, Job inter infideles, Danielem in Babylone.

Borromaeum, Salesium, Vincentium, innumerosque alios, qui nunc exultant in gloria mea, medios inter peccatores sanctificavi.

Vide, fili: volui, ut illi omnes, in medio nationis pravae, perfecti essent; ut tu disceres neminem debere, in quacumque vocatione, animum despondere.

Euge ergo, fili, fac quod in te est;

ego supplebo, ego dirigam, ego perficiam.

3. Ecce venio, Domine, ut faciam voluntatem tuam: volo perfectus esse. Verum ad hoc magna requiritur gratia.

Illam quidem amicis tuis promittis: sed ego indignus, qui toties iram tuam merui, quomodo potero securus expectare donum quod amicis tuis praestas?

Ego qui toties in minoribus periculis perii, quomodo potero maxima pericula evadere?

O! Domine, melius forte mihi foret et tutius, si fugiens mundi scandala quibus vae dixisti, in solitudinem discedens, ibi amplecterer statum religiosi famulatus in quo homo securius fit sanctus et perfectus.

4. Fili, quid est? Numquid venit lucerna ut sub modio ponatur, aut sub lecto? Nonne ut super candelabrum ponatur?

Fili, non tu me elegisti, sed ego elegi te et posui te, ut eas et fructum afferas in patientia: gratiam tibi promitto.

Indignum te dicis: scito, fili, quod gratia mea non detur propter merita, alioquin jam non esset gratia.

Amas me? pasce oves meas. Pascendo, amorem exhibebis: et diligentibus me omnia cooperantur in bonum, ipsa pericula ipsique hostes.

Pasce oves meas. Pascendo amabis; amando proficies, et fies perfectus.

Pasce oves meas. Pascendo imitaberis Pastorem bonum, Jesum Filium meum. Illi vero sunt perfecti et praedestinati, quos praescivi conformes fieri imaginis ejus.

CAPUT V.

De Mediis ad perfectionem assequendam.

1. Fili, vis perfectus esse? Dilata os tuum, et implebo illud; esuri et siti justitiam, et saturaberis; opta, et dabitur tibi sensus; vir desideriorum esto, et veniet in te spiritus sapientiae.

Si ardenter desideras perfectionem, hoc vehementi desiderio, quasi stimulo perurgente excitatus, de virtute in virtutem ibis; usquedum perveneris ad fastigium montis Sion, ubi cum Deo tuo intima frueris unione.

Desidera ergo vehementer; propone

firmiter: et disiderium illud et propositum, de die in diem, de hora in horam renova. Sic brevi accenderis, brevi flammesces.

2. Si vis perfectus esse, in omni opere tuo stude mihi soli placere. Actus ergo tuos praecedat semper pura intentio beneplaciti mei et amoris mei.

Si ita ex affectu mihi placendi semper operari cures, sciam quod ames me ex tota anima; ex tota mente, ex totis viribus.

Tunc vives et perfecte vives. Qui enim diligit, legem implevit.

Cave, fili, attende ne justitiam tuam facias coram hominibus, ut videaris et habeas gloriam: acciperes quidem apud eos, sed perfectionem abjiceres.

Cave, fili, attende ne negligenter in servitio meo te geras. Non perfectus, sed maledictus qui facit opus Dei negligenter.

3. Si vis perfectus esse, cura, fili, ut me semper intuearis praesentem, et te sub oculis meis constitutum.

Recordare et recordare semper me esse Deum cuncta prospicientem, scrutantem corda et renes.

Si ergo loquaris, si cogites, si ali-

quid desideres, aliquid velis aut agas, id coram me loquere, cogita, propone et age.

Sic coram me sicut Abraham, Enoch, Noe, Ezechias, in veritate et corde perfecto ambulabis.

4. Si vis perfectus esse, cura, fili, ut in omni opere te geras quasi statim esses moriturus, quasi esset ultimus actus vitae tuae.

O! si hoc faceres, fili: quanto fervore Missam celebrares! Quanto fletu peccata tua plangeres! Quanta attentione orares!

O fili! Grandia et impossibilia a te non exposco, ut perfectus fias.

Sacerdos es; debes orare, conscientiam examinare, sacramenta ministrare, horas legere, sacrificium offerre. Haec perfecte facias, et perfectus eris.

5. Si vis perfectus esse, cogita frequenter fili, ad quid venisti, et cur Sacerdos factus es. Nonne ut mihi placeres, et certus salutem tuam operareris?

Hac cogitatione te excita; continuo excitatus age; semper incipe; teporem excute; passiones vince; appetitus inordinatos fraena.

Sic jugis conatus ad perfectionem perfectio tibi reputabitur.

Si tamen labaris, fili; si minus proficias quam optares, animo ne concidas.

Humiliare tantum et ingemisce. Perfectio tibi erit, non invenisse te perfectum.

6. Si vis perfectus esse, descende, fili, ad ima animae tuae; et ibi coram me in sinceritate secretiora cordis tui scrutare.

Vide et diligenter considera obices qui te impediunt, ne curras, ne progressus facias: hos remove.

Vide quae tuorum sit origo vitiorum, quae imperfectionum. Habent enim semper radicale quoddam caput.

Ecce Goliath; interime eum, et vicisti: id est curam omnem impende ut hoc capitale vitium eradices.

7. Vide, fili, mercatores lucro intentos; vide quomodo de die in diem pecuniis suis aliquid adjiciant. Sic et tu thesauris quos tibi in coelo thesaurisas, quotidie aliquid addas.

Vide pictores quomodo imagines quas pinxerunt, quotidie perficiant. Ita et tu vitia corrigas, virtutes augeas.

Fili, illi quidem ut corruptibilem co-

conam accipiant, tu autem incorruptam.

8. Domine, da ut sicut jubes proficiam: da ut me sine dolo, sine adulatione discutiam.

Domine, da ut mihi semper displiceat quod sum, et perveniam ad quod nondum sum. Da ut non retro redeam, ne deviem, ne in via remaneam. Scio enim quia si dixero, sufficit, perii.

CAPUT VI.

De Paucitate Electorum.

1. O Fili! quam pauci sunt sacerdotes qui arctam viam sequuntur! Quam pauci qui per angustam portam intrant! O! quam multi declinaverunt a semitis meis!

Veni et vide: profecto extra viam arctam sunt superbi qui inani scientia sua tumidi et inflati, coeteros despiciunt, et in clero amant dominari.

Modo exaltantur sicut cedri libani: sed postmodum cum Lucifero in infernum cadent.

Sed nec per angustam portam intrant ambitiosi qui se ipsos, non me nec animas amantes, beneficia et honores men-

dicant, caeterum quasi venantur et cumulant; caeterum de idoneitate sua parum solliciti, de obligationibus et muneribus vix curantes.

Certe quemadmodum temere ad dignitatum coelos ascendere festinarunt, descendent confusi usque ad abyssos tormentorum.

Extra viam quoque sunt qui mammonae, non mihi servientes, nil nisi turpe lucrum in Clero sectantur.

Certe loculos cum Juda habentes, etiam cum illo proditore peribunt.

2. Profecto per angustam portam non intrant qui se negotiis saecularibus nimis implicantes, non orationi, non studio, non suae nec aliorum saluti sollicite vacant; sed litibus, sed bonis temporalibus, sed negotiationibus, de mane ad vesperam sunt intenti.

Certe terram quam toto corde diligunt in morte amittentes, coelum quod non quaesiverunt non suscipient.

Sunt etiam extra viam qui confabulationibus inanibus vel lusibus dediti, tota die remanent otiosi.

Certe, quando veniet Dominus vineae, non dabit illis mercedem.

Nec intrant per angustam portam qui,

cum castitatem voverint, se immunditiis vel cogitatione, vel verbo, vel opere tradere non formidant.

Certe isti sacrilegiis et sordibus referti non recipientur in regno meo ubi nil coinquinatum admittitur.

3. Non dubium, fili, quin extra viam sint qui de mundo sunt, mundum amant, de mundo loquuntur, de mundi vanitatibus gloriantur, de mundi deliciis inebriantur, de mundi gaudiis recreantur.

Certe, cum laetati fuerint cum mundo, non poterunt postea regnare cum Christo.

Profecto, nec per angustam portam intrant qui tepidi sunt, nunquam ad cor redeunt, non nisi gravissima crimina fugiunt.

Certe, non admittentur in aeterno convivio qui provocant vomitum ori meo.

Nec recipientur illi qui bona patrimonii mei in sumptuositates, vanitates, delicias dissipantes, erga pauperes meos fuerint parci, et minus misericordes.

Certe dicam illis in furore meo: discedite a me maledicti, in ignem aeternum.

4. Extra viam quoque sunt, qui, cum

ad populi mei correctionem sint positi, ovibus meis dant exempla pravitatis.

Certe, tanquam necatores animarum peribunt illi per quos scandalum venit.

Nec per angustam portam intrant qui non regulas sanctas, sed consuetudines corruptas sequentes, non desiderant nec conantur esse laxioribus sanctiores.

Certe non coronabuntur nisi qui legitime certaverint.

Extra viam pariter sunt, qui Praelatis non obedientes et de mandatis ipsorum non curantes, Ecclesiam per illos praecipientem non audiunt.

Certe isti meipsum spernunt, et idcirco a Patre meo in judicio condemnabuntur.

Nec per angustam portam intrant qui plebem meam non instruunt; de peccato non arguunt; confessiones non nisi aegre, cursim et sine cura audiunt; indignos absolvunt; ecclesiastica munera, sine pietate obeunt; missam imparati et festini celebrant.

Certe maledicti sunt illi qui opus meum, vel non peragunt, vel negligenter faciunt.

Sunt similiter extra viam, qui templa mea sordibus et pannis dedecorari

patiuntur, et nullo domus meae zelo moventur.

Certe illi me non diligunt, neque partem habebunt in regno quod Pater diligentibus praeparavit.

O fili! Quot sacerdotes nomine! Quam pauci opere! Jam magnus censetur, si quis transgressor non fuerit.

O quot sacerdotes externa veste! Quam pauci interna perfectione! Quam paucae lucernae ardentes et lucentes!

Quam rara vera innocentia! Quam rara perfecta poenitentia! Quam rara pura charitas! Quam rara sincera humilitas!

Quam rarus indefessus labor! Quam rara assidua oratio! Quam rara vera sanctitas!

Contende, fili, intrare per angustam portam. Satage ut per bona opera certam tuam electionem facias.

6. Pauci electi. Configat, fili, timor veritatis hujus carnes tuas.

Time ne, si pauci sint salvandi inter oves, pauciores sint adhuc inter sacerdotes.

Time: pertransit enim sacerdos, pertransit levita, dum samaritanus laude dignus fuit.

Time, fili; quia multi erunt novissimi primi, et primi novissimi.

Time, quia multi de longe venient, et recumbent cum Abraham, Isaac et Jacob in regno coelorum; dum filii regni ejicientur in tenebras exteriores.

O! si veritas haec ad cor tuum transiret, non dubium quod non peccares sed cum metu et tremore salutem tuam operareris.

CAPUT VII.

De Gravitate Peccatorum in Sacerdotibus.

1. Fili, quodnam est peccatum grande nimis coram me? Est certe peccatum sacerdotum meorum.

Propter hoc compleo Ego furorem meum, effundo iram indignationis meae: propter hoc succendo ignem in Sion.

2. O Domine! loquar ad te, cum sim pulvis et cinis.

Scio, Domine, quod non sis personarum acceptor; quod non sit barbarus, neque advena, neque Graecus, neque Arabs, neque masculus, neque foemina in conspectu tuo.

Scio quod omnes unum sint in Christo Jesu. Quomodo ergo plus irasceris in delinquentem sacerdotem? Quomodo minus parcis?

3. Fili, utique non est apud me personarum acceptio, neque dives plus paupere, neque princeps plus subdito, neque sapiens plus idiota in oculis meis est.

Verum justus sum, et pondus iniquitatis scio appendere, judicare et punire.

Justum est ut plus in delinquentem sacerdotem irascar quia major est ejus iniquitas.

4. Audi, fili, quale sit malum ejus. Grande sane crimen est, si unus de plebe audeat optimi regis mandata spernere, insolenter contra ipsum insurgere, armatisque manibus rebellare.

Sed gravius est certe facinus si minister ipse regis, si negotiorum ejus administrator id faciat.

Intellige, fili, parabolam: quando sacerdos peccat, mandata mea spernit, obedire renuit; tunc audacter insurgens dicit: non serviam.

Et quid est, fili, ille sacerdos qui sic recalcitrat et rebellat? Minister meus

est, dispensator mysteriorum meorum est. O iniquitas grandis nimis coram me!

5. Grande crimen est, cum filius optimi patris imperio se subducens, in regionem longinquam abit, ut ibi luxuriose vivat.

At grandius sane crimen, si sponsa legitimum spernens sponsum, alteri viro adhaereat.

Intellige, fili, parabolam. Anima sacerdotis se mihi in Ordinatione, voto desponsavit; illa vero, peccatum perpetrando, a me discedit, ut mundo, aut carni, aut diabolo, infensissimis meis hostibus se tradat.

O infidelissima! O adultera sponsa quae divino sponso peccatum, diabolum ipsum praeponit! O iniquitas grandis nimis coram me!

6. Grande crimen fuit Judaeis, me ad mortem postulare et violentas in me manus injicere.

At certe grandius fuit crimen Judae qui, cum esset apostolus meus, ipsis consentiens me vendidit et prodidit.

Hoc, fili, parabola non est; verum ipsa de qua tibi loquor, veritas.

Sane scis quanta sit iniquitas christia-

norum, quando per peccatum me rursus crucifigunt, et ostentui habent.

Intellige ergo quantum sit sacerdotis scelus, cum ipse per peccatum violentas in me injicit manus. O iniquitas grandis nimis coram me!

7. Amen amen dico tibi: multa sustineo a caeteris peccatoribus et impiis: nullum tamen majus praejudicium quam a sacerdotibus peccantibus, patior.

Non ergo mireris, si contra eos plus accendatur ira justitiae meae; si cum furore clamet: veniat mors super illos, et descendant in infernum viventes.

Inimicos maledicentes sustineo: notos adversantes non fero.

8. Contremiscant ergo iniqui sacerdotes, quia eos districtius et inexorabilius judicabo quam caeteros.

In terra sanctorum iniqua gerunt, non videbunt gloriam meam; sed potenter tormenta patientur.

Meminerint Nadab & Abiu. Erant ministri mei: vidi illos ignem alienum in thuribulis suis imponentes; statimque ignem de coelo misi super eos et consumpti sunt.

Meminerint Ozae levitae. Vidi eum indebito modo arcam foederis mei tan-

gentem; et subito eum percussi, dum Philistaeis temere tangentibus peperci.

Meminerint filiorum Heli. Vidi eos praevaricantes, et interemi.

O fili! memento tu ipse et time judicia mea, expavesce iram meam. Vigila, fuge peccatum.

9. Aperi, Domine, aperi cor meum, ipsique horrorem peccati, et odium iniquitatis magis ac magis infunde. Confige timore tuo carnes meas, ut non peccem tibi.

Verumtamen vide, Domine, infirmitatem meam ad malum adeo proclivem. Sacerdos quidem sum; sed et homo sum in iniquitate conceptus.

Adjuva me, dirige me, tene manum dexteram meam, et in voluntate tua deduc me.

Vide, Domine, furorem Satanae inimici mei. Ecce continuo rugiens ut leo, circuit quaerens quem devoret. Eripe me de inimico illo.

Deus meus, ad te confugio: nisi tu me custodieris, frustra vigilabo, frustra me custodire conabor.

In te confido: protege me; defende me; et non peribo in infirmitate mea.

CAPUT VIII.

De Malis oriundis ex improba Sacerdotum vita.

1. Fili, plorans ploravi, et lacrymae meae in maxillis meis; quia amicus meus, quem super omnia bona mea constitueram, mutatus est mihi in crudelem.

Attende, fili, et vide, si est dolor, sicut dolor meus.

Emi oves a Patre meo, pretio sanguinis mei. Illas perpetua caritate diligo; et idcirco servo meo commisi; ut eas in nomine meo, et in charitate mea regat, servet et salvet.

Dixi illi: amice, tibi commendo oves meas, educ eas, ante eas vade, cognosce eas, animam tuam da pro eis.

Alias oves habeo, quae nondum sunt ex hoc ovili quod tibi committo: amice adduc eas; ut fiat unum ovile et unus pastor.

Dixi ovibus meis: sequimini pastorem hunc, noscite vocem ejus alienum autem ne sequamini, sed fugite ab eo.

2. Quid factum est, fili? ille servus cui adeo amanter oves meas commiseram, factus est quasi mercenarius, ad quem non pertinet de ovibus.

Vidit lupum venientem, et dimisit

oves, et fugit: et lupus venit, rapuit, et dispersit oves meas.

Quinimo, fili, servus ille nequam factus est fur et latro; et mactavit ipse, et perdidit oves meas pro quibus veneram ego ut vitam haberent, et abundantius haberent.

3. Audi, fili, audi quomodo servus ille pessimus factus sit in grege meo singularis ferus depascens eum.

Debebat oves meas ducere in uberrima fidei pascua; instruere debebat, catechisare, praedicare.

Neglexit vero: inde fames. Brevi vidi macidum meum esse pecus, et vix vultum ejus agnovi.

Visitare debebat oves meas, uniuscujusque speciem attendere per assiduam confessionum auditionem;

Non fecit: brevi morbi et vulnera, et creverunt, et multiplicata sunt; et multae oves interierunt, quia non fuit qui curaret.

Vigilare debebat super oves meas, ne dispergerentur, et abeuntes requirere: et non respexit, et non intendit, et dispersae sunt.

Oves illae animae sunt, fili: in ignorantia, in peccatis, in erroribus ab improbo sacerdote relictae sunt.

O Pastor infidelis ! O serve nequam ! O Pastor et idolum, derelinquens gregem meum !

4. Initium doloris mei hoc, fili. Audi adhuc et plange mecum : malus sacerdos devoravit oves meas, interfecit eas. Peccavit ipse et delinquere fecit animas.

Viderunt enim eum peccantem et dixerunt : iste angelus Domini est, sciens bonum et malum : non plus Deum timere debemus quam ille ; non plus mandata servare, non plus peccata fugere.

Quid ergo ? nobis non liceret quod ipsi licet ? quid ? non faceremus quod ipse facit ? sequamur eum, et per vias ejus progrediamur.

Sic per ejus exemplum tractae sunt in malum animae : sic in vitiis et sceleribus corroboratae.

5. Quid adhuc, fili ? faex calicis crudelitatis ejus nondum est exinanita.

Audi, audi ; et obstupescant coeli super hoc, et portae ejus desolentur vehementer.

Vident oves meae mores ejus non esse cum doctrinâ conformes : modo dubitant utrum ipse vera esse putet dogmata quae docet, utrum ipse ea credat, utrum vera sint. Modo dicunt intra se :

doctor ipse, pastor ipse, apostolus ipse non credit; cur crederem? infernum non timet; cur timerem? Hinc indredulitas, hinc impietas.

Sic, fili, sic a malo propheta egreditur pollutio super terram.

O sacerdos, non pastor, sed seductor gregis mei! Oculum pro oculo, dentem pro dente restituet ille nequissimus; erit anima ejus pro animabus illorum.

6. O improbi sacerdotes! quot et quantorum estis causa malorum!

Quid non passus sum a principe vestro Juda, qui me Judaeis tradidit ad crucifigendum?

Quid non ab Ario qui totam meam desolavit Ecclesiam?

Quid non a Luthero qui tantam gregis mei partem in errorem duxit et perditionem?

Quid non a tot aliis sacerdotibus schismatum et haereseum patronis?

O scelestissimi sacerdotes per quos venerunt tot scandala, per quos tot populi, tot gentes a fide et unitate ecclesiae meae recesserunt, sponsae meae castissimae crimina vestra injusté imputantes?

Propter vos, propter scelera vestra, mundus gladio feritur; propter vos, percussionibus perit; propter vos, catholici superantur exercitus.

Vae vobis, progenies viperarum! Absorbebit vos, prae caeteris iniquis, profundum inferni; urgebit super vos, cum furore, puteus tormentorum os suum.

CAPUT IX.

De Bonis oriundis ex sancta Sacerdotum vita.

1. Beata gens, beatus populus, cui Dominus dedit pastorem juxta cor suum!

Sub ipsius regimine, fiunt prava in directa, aspera in vias planas, videt omnis caro salutare Dei.

Campi replentur ubertate, pinguescunt speciosa deserti, exultatione colles accinguntur.

2. Beatus mundus qui a misericordissimo Domino duodecim Apostolos accepit!

Vide, fili, quanta sit sancti sacerdotis vis, energia et efficacitas. Vide: duodecim fuerunt; et in omnem terram exi-

vit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum.

Cum essent agni, mundum lupis plenum vicerunt: cum essent piscatores, mundum tenebris opertum, doctrina illuminaverunt.

Cum essent sine baculo et sine armis, idola et templa subverterunt: cum essent ignobiles, a mundo ipsi honorati sunt.

Sed erant sancti; sed erant immaculati, castitate pleni, in oratione assidui, ministerio dediti, imitatores Christi, spiritu ejus zeloque repleti.

O beata tellus quae hos duodecim habuit Apostolos! heu! misera hodie terra quae sub tot millium sacerdotum ministerio perit!

3. Beata urbs Mediolanensis quae, cum vitiis et ignorantia scateret, Carolum pastorem adepta est!

Carolus curavit Clerum; et multi sacerdotes de faece vitiorum ad sanctitatis apicem, quasi de morte ad vitam translati sunt.

Curavit populum: et populus qui prius in tenebris et umbra Vortis sedebat, in via veritatis et virtutis ambulavit.

Urbs ipsa quasi totaliter immutata et innovata fuit. Quin et in regionibus

multis Carolus satanae regnum dextruxit, Christique imperium mire propagavit.

Demum vita discessit, universum mundum suae fama sanctitatis replens; et quasi hodiedum per aemulationis incitamentum sanctificans.

Tanta est sancti Sacerdotis virtus, ut non sit fere qui se abscondat a calore ejus.

4. Beati Chaballicenses qui Salesium susceperunt! Quot ab haeresi reduxit ipse! quot In viam pietatis induxit! quot in ipsum coelum per lenitatem suam intrare compulit!

Beatae Indiarum gentes quae Xaverium habuerunt apostolum! Quot regna, quot reges, quot populos ad Christi fidem adduxit! Vix lingua sufficit enarrare.

Beata Gallia quae Vincentium obtinuit! Quot per ipsum pauperes fuere evangelizati! quot impii conversi! quot coeci illuminati! quot infirmi in fide sanati! quot pueri eruditi! quot Sacerdotes sanctificati!

5. Fili, ecce quanta potest verus et sanctus Sacerdos, orationi, verbo et exemplo intentus.

Isti dati sunt tibi in exemplum, et plus te provocare debent ad Proficien-

dum, quam tepidorum numerus ad relaxandum.

Vide ergo quomodo impleverint ministerium quod tu ipse accepisti, et cura ut illud similiter impleas.

Vide quomodo per sanctitatem suam oculos omnium ad se traxerint: vide qualiter verbum Dei praedicaverint: vide quomodo et quantum oraverint.

Vide quales fuerint in habitu, gestu, sermone; quam graves et moderati in moribus; quam mansueti et humiles in conversationibus; quam mortificati et misericordes; quam parum solliciti de temporalibus; quam ardentes ad spiritualia.

Vide quantum fuit in ipsis odium vitii, quanta aemulatio virtutis.

Vide, et fac similiter. Fac, et doce cum illis, et cum illis magnus eris in regno coelorum.

CAPUT X.

De Morte.

1. Quis est homo qui vivet et non videbit mortem? Nullus sane, fili; et experientia uosti neminem esse qui semper vivat.

Tu igituu, tu, etsi sacerdos, etsi de diis, de filiis Excelsi, sicut caeteri homines morieris; et quidem in die qua non putas, et hora qua nescis, et modo quo ignoras.

Appropinquat velociter ad te, fili, ille qui super equum pallidum sedet; ille cui nomen mors; et brevi eris inter interfectos.

Forsan non vides illum, non attendis: illum adhuc elongatum credis; uno tamen gradu tu ab illo divideris.

Modo conculcabit te: et tunc quid proderit tibi, si mundum universum lucratus fueris, animam vero tuam salvare non curaveris.

2. O! qualiter aperientur oculi tui, quando audies ascensorem equi, terribili voce clamantem: finis super te finis super te.

Tunc longissimae vitae dies videbuntur tibi, sicut umbra velocissima declinasse.

Tunc divitiae et opes, honores et dignitates, diliciae et voluptates apparebunt tibi vacuae omnino et inanes.

Tunc confiteberis insaniam esse, in illis bonis spem suam ponere, quae mora post horam venit ab invito tollere.

Tunc agnosces sapientiam esse in coelo tantum thesauros sibi thesaurisare.

Tunc lugebis super tot gratiarum jacturam, super tot sanctis inspirationibus resistentiam.

Tunc dolebis te per bona opera certam non fecisse tuam electiooem; vel non anhelasse ad majoris perfectionis culmen.

Tunc surgent peccata tua, et fient in conspectu oculorum tuorum exercitus grandis nimis: et irruent super te formido et pavor.

Tunc super justitias quoque tuas turbaberis, et expavesces multum, nesciens utrum amore an odio dignus sis.

Tunc non de tua tantum vita anxiaberis, sed de cura ovium tuarum, prae ratione reddenda sollicitus eris.

Tunc multi actus tui videbuntur tibi noxii, qui alias, prae inconsideratione apparebant tibi recti et boni.

In multis, concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, superbiam vitae, vel solam naturae inclinationem perspicies: in paucis perfectionem invenies.

3. Tunc videbis, fili, excessum commessationum, vanitatem indumentorum, luxum supellectilium, otium dierum;

Defectus orationum, parcimoniam eleemosinarum, nimiam curam facultatum, delicta conversationum;

Ambitionem desideriorum, invidias et odia aversionum, tepores piorum exercitiorum, defectus confessionum, negligentias in celebratione Missarum.

Venient tibi in mentem tot oves ignarae, non edoctae; tot errantes, non requisitae; tot peccatrices, non reprehensae; tot pusillanimes, non confortatae;

Tot lapsae, non erectae; tot infirmae, non curatae; tot bona inter eas omissa, tot mala permissa.

Quid eris miser tunc dicturus? dic hodie, fili, et eris securus,

4. Dic: o mors! bonum est judicium tuum. Sicuti tunc sentirem, volo nunc sentire: sicuti tunc agerem, volo nunc agere: disponam domui meae vivens, ne non possim disponere moriens.

Ab omni specie mala deinceps abstinebo me; nilque perpetrabo, quod possit me, in hac terribili hora remordere.

Dum tempus habeo, operabor bonum, seminabo, metam, congregabo; ut, cum venerit Dominus ad poscendam rationem villicationis meae, servus fidelis cum gaudio appaream, portans manipulos meos.

5. Verum, ne sis fili, similis homini consideranti vultum nativitatis suae in speculo, qui considerat se et abit, et statim obliviscitur qualis sit.

Id est, non sufficiat tibi, una vel altera vice, hanc salutarem mortis ruminare cogitationem, votumque sanctificationis consequenter elicere, posteaque statim oblivisci.

Rumina semper mortem, et elice semper novam voluntatem mortem praeveniendi, non in futurum, sed nunc, sed actu.

Beatus, vere beatus, qui horam mortis suae semper ante oculos habet!

Hoc sancti mei sciverunt, et idcirco omni modo mortis memoriam sibi in mentem revocare curabant; alius ossa mortuorum contemplando, alius sepulchra aspiciendo, alius in feretro recumbendo.

6. Tu vero, sacerdos, extraordinario signo non indiges, ut tibi frequentissime mortis cogitatio in mentem veniat.

Vix enim est aliquod diei intervallum, in quo non detur tibi speciale mortis monitum.

Modo enim vocaris ad moribundum providendum; modo ad agonizantem juvandum; modo ad mortuum sepeliendum,

modo ad obitus testimonium describendum ; modo ad officium pro defunctis persolvendum .

Si campana pulsatur , annuntiat funus : si intras in ecclesiam , sepulchra et tumulos calcas : si librum pro horis sacris persolvendis aperis , exhibet tibi orationes pro mortuis : si Missam celebras , defunctorum tibi facienda est commemoratio .

Uno verbo , ubique tibi se mors offert ; sic statui : et quare ?

Quia cum sis prae status tui celsitudine et periculis plus caeteris expositus , et ideo necesse sit , ut ad novissima tua attendas frequentius , volui ut ferme continui essent tibi in sacro ministerio , ad saluberrimam mortis cogitationem et memoriam stimuli .

7. Ne itaque mentis oculos claudas , aut avertas , cum haec tristis quidem , sed necessaria mortis se tibi offert imago .

Ne aures cordis indures ad vocem ejus ; sed è contra attente audi , excipe , et abconde in sinu tuo eloquia ejus , ut carnes tuae maneant timore meo confixae .

Nonne , fili , stulti sunt et insipientes illi sacerdotes qui inter mortuos semper ambulantes , de morte tamen vix cogi-

tant, et ad ejus frequentes minas facti sunt, prae consuetudine omnino insensibiles?

Mortem ubique comitantur et vivunt, quasi nunquam essent morituri: caduca mundi possident, quasi nunquam essent peritura; et jam aegroti, jam moribundi, vix credunt fratri dicenti: dispone domui tuae quia morieris tu.

O! qualis vita illorum, fili, qualis mors: vita utique secundum carnem, et mors fere semper, prae defectu praeparationis, subita.

Àbsit a te, fili, absit haec finis tui oblivio ejusque lugendi fructus! Quotidie morere per cogitationem, ut Paulus; et gaudebis cum illo, quando liberaberis de corpore mortis hujus.

CAPUT XI.

De Judicio extremo.

1. Post mortem, fili, dormies in terrae pulvere: sed evigilabis; consurges, venies in vallem Josaphat, quando ibi sedebo ut judicem omnes gentes.

Ibi me videbis in carne tua, et ego renes tuos et cor tuum scrutabor.

Illuminabo abscondita tenebrarum tuarum; manifestabo consilia cordis tui; appenderis in statera, et reddam tibi juxta opera tua.

2. Finis omnis rei tunc erit, fili, remuneratio omnis justitiae, et vindicta omnis culpae.

Intellige quae dico, et sapienter tibi provide, ut in illa die irae securus sis et beatus.

3. Dixi tibi ſaepius, fili: contemne terrena; transit enim mundus et concupiscentia ejus.

Noli diligere mundum neque ea quae in mundo sunt: praeterit enim figura hujus mundi.

Vis servare, fili, mandatum hoc quod tibi toties iteravi? vis vincere pessimam naturam tuam ad haec sensibilia te fortiter allicientem?

Habe saepius in mente hanc horam extremam, in qua elementa et orbis universus calore soluta ruent.

4. Finge tibi saepe in animo intimo te videre jam signa horrenda in sole, in luna et in stellis; motus magnos in terra quam habitas; confusionem sonitus in mari; audire novissimam tubam.

Certe tunc vetus homo tuus, arescens

prae expectatione judicii quod superveniet tibi, jam non audebit adeo fortiter concupiscere adversus spiritum.

Certe non dices: bonum est nos in hoc mundo esse; faciamus hic dulcissimam nostram mansionem, quando attendes mundum hunc non esse mansuram civitatem.

Certe omnia regna mundi et gloriam eorum quasi vera bona non aestimabis, quando cogitabis illa in interitum itura.

Certe ab honorum ambitu non vinceris, quando considerabis diem illum, in quo omnis vir humiliabitur.

Certe non desiderabis thesaurisare super terram, quando attendes quod omnes divitiae in momento, in ictu oculi evanescent.

Certe non indulgebis carni, quando cogitabis carnem delicatius nutritam, fore in die judicii inimicam pessimam.

Respice finem, fili; et omnia terrena arbitraberis ut stercora; et de solo coelo lucrando sollicitus eris.

Respice finem, et dices: utique, Domine, cognovi, quia omnia vanitas, praeter amare te, tibi servire, me et alios santificare.

Beatus ille solus quem inveneris in illa hora sic facientem.

5. Finge tibi saepe in animo tuo, fili, te videre a latere tuo Sacerdotes è monumentis resurgentes; hos in gaudio, in gloria, in subtilitate, in claritate, in agilitate, in incorruptione, quia sancti sunt; hos autem in squalore, in opprobrio, in luctu, in furore, in dentium stridore, quia perversi fuere.

Sine te ab istis terreri; ab his vero ad virtutem stimulari; et tanto spectaculo commotus, dic sapienter tibi: O anima mea! vide quam bonum sit sacerdoti, cum portaverit jugum.

Vide quam bonum sit presbytero, cum fecerit et docuerit.

Vide quanta gloria maneat eos quorum vita apud iniquos aestimatur insania.

Vide quomodo computantur inter filios Dei, et inter Sanctos sors illorum est.

O beati presbyteri, duplici honore decorati! Curramus anima mea, post ipsos, sicut cervus ad fontes aquarum.

Curramus post ipsos in patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu sancto, in caritae non ficta.

Curramus per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam.

O anima mea! verbum veritatis quod tenuerunt, tenemus; arma justitiae, cum quibus pugnaverunt a dexteris et a sinistris, possidemus; pugnemus, curramus, anima mea, curramus.

Si renuit adhuc anima, si sanctum laborem recusat; perge, et dic: vide, anima, quo ducat iniqui sacerdotis ignavia et perversitas.

Vide quam horrendum sit post vitam peccaminosam resurgere, et postea in manus Dei viventis incidere.

Vide quomodo scelera Sacerdotis cum ipso sint, quomodo iniquitates suas et iniquitates caeterorum portet.

Fuit in vita aries in capite gregis: est in resurrectione hoedus in capite damnandorum.

O anima mea! declinemus a malignis istis, scrutemur mandata Dei nostri, et ejus faciamus voluntatem, corde magno et animo volenti.

Caveamus a diaboli laqueis, a desideriis nocivis, quae nos cum istis mergerent in perditionem.

6. Finge quoque tibi saepius in animo, fili, te videre jam signum meum pa-

rens in coelo; crucem meam, desuper coruscantem et dic: ecce statera in qua tunc appendar! O me beatum si in ipsa, Christo meo confixus inveniar!

Me beatum, si crucem post Jesum portaverim! erit mihi tunc amica et propitia.

Me beatum, si per illam factus fuerim conformis imagini Filii Dei! Tunc certe accedam ad Christum judicem cum magna fiducia.

Me vero miserum, si per peccata mea Jesum rursus crucifixerim!

Me miserum, si sanguinem in cruce pro me effusum pollutum duxerim!

Me miserum, si per vitam carnalem inimicus crucis fuerim!

O anima mea! abnegemus nos; tollamus crucem nostram et sequamur Jesum; patiamur nunc cum illo; et in resurrectione conglorificabimur.

7. Finge tibi adhuc saepe in animo, fili, quod videas me Filium hominis venientem in nubibus coeli, cum virtute multa et majestate;

Et considera sacerdotes coram me stantes, alios quidem a dextris super thronos, judicantes tribus populi mei; alios autem a sinistris, cum diabolo et angelis ejus.

Respice libros apertos, ut judicentur mortui, ex his quae in illis scripta sunt.

Audi quomodo nil sit opertum, quod non reveletur, nil absconditum, quod non sciatur.

Audi judicis ad sanctos presbyteros dulcissima verba: o benedicti Patris mei! amici mei, qui fecistis omnia quae praecepi vobis.

Servi fideles, qui pondus diei et aestus portavistis; qui me in membris meis, in minimis meis esurientem, sitientem, infirmum, nudum, in carcere detentum, per tot labores, sudores, verba, exempla, orationes, sacramenta cibastis, potastis, juvastis, operuistis, liberastis.

Venite, dilecti fili, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.

Numquid non dices hic, fili: Vale tellus, valete omnia mundi: absit a me, ut me ultra saecularibus negotiis implicem? Soli Deo, per veram pietatem et fidele ministerium militabo.

Euge, anima mea! Si labor terret, quanto plus merces invitat.

8. Verum audi adhuc, fili, quid ad perversos sacerdotes dicatur.

O maledicti filii perditionis, qui nomen habebatis quod viveretis, et mor-

tui eratis! Erubescite nunc, et confundimini.

Audite pudenda vestra in facie vestra: sciat plebs quam vobis commiseram: sciat universa domus mea quantum fueritis pleni dolo et fallacia.

Noscat sacrilegia, scelera vestra; sciat quod mea sit vindicta et ego retribuam.

Ite perditissimi et prae omnibus maledictis maledicti; ite, discedite a me in ignem aeternum.

O fili! ad multos certe sacerdotes dirigetur, haec terribilis sententia; numquid et tu ex illis eris?

Time, fili, time; vix enim justus in illa die salvabitur.

Time: et si cor tuum te in aliquo reprehendat; statim, et sine mora, dum lucem habes, praeoccupa faciem meam in confessione, in poenitentia et in omni opere bono.

CAPUT XII.

De Inferno.

1. Tu scis, fili, quod peccatores in ignem aeternum ituri sint, ut ibi urantur et crucientur, usque in sempiternum, cum diabolo et angelis ejus.

Tu scis, tu credis hoc, tu annuntias ovibus meis, ex mandato meo, terrificam hanc veritatem.

Verum tu scis etiam, fili, non pro solis ovibus iniquis puniendis constitutum fuisse istum tormentorum locum, sed pro perversis sacerdotibus, sed pro pravis pastoribus illum fuisse imprimis conditum.

Etenim pro Lucifero et sociis ejus fuit creatus, et statutum est ut ibi potentiores potentius tormenta patiantur.

O Lucifer nove, qui per status tui sublimitatem es de coelo coelestis! time ne cum primo Luçifero cadas, et in stagnum ardens cum ipso tandem detrudaris.

O tu qui dives es de coeli thesauris! time ne, abutens illis, cum divite moriens in inferno sepeliaris.

O tu cui commissa sunt pretiosissima sacerdotii mei talenta! time ne cum servo inutili projiciaris in tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium.

2. Ubi est, fili, ubi Iudas? ubi caeteri qui ipsum imitati sunt sacerdotes, et sicut ille, in peccatis suis mortui sunt?

Ubi? Sepulti sunt in inferno, et ibi jacent eo profundius, quo in coelis collocari debuissent excelsius.

Ibi eo majori confusione replentur, quo

in terris majori honorum culmine decorabantur.

Ibi eo magis a Satana contemnuntur, illuduntur, conteruntur, quo plus in terra fuerant ab angelis et hominibus honorati.

Ibi eo amplius draconum fel, aspidumque venenum bibunt, quo plus de sanguine meo in altari indigne sumpserunt.

Ibi eo acrius ab antiquo serpente punguntur et devorantur, quo plus in terris debuissent ei esse, per sacrum ministerium, infensi et nocivi.

Ibi eo pauperiores et nudiores sunt, quo plus ab ovibus meis, sine labore, necessaria et superflua receperunt.

Ibi eo magis uruntur, quo plus a curis consuetis, prae status sui sanctitate, liberi tranquilliorem in mundo vitam duxere.

Ibi eo adentioribus stimulis perurgentur, quo plures per ignaviam et acidiam suam permiserunt oves perire.

Ibi eo majori fame et siti cruciantur, quo magis in bonis duxerunt dies suos.

Ibi eo foetidiori pice et sulphure perfunduntur, quo plus secundum carnem in statu summe spirituali et sanctissimo vixerunt.

Ibi eo plus ut furiosi canes ululant, quo plus in evangelii cathedra siluerunt.

Ibi eo horrendioribus tumultibus et clamoribus aures eorum fatigantur, quo minus eas in tribunali voluerunt poenitentibus praebere.

Ibi eo horribiliora monstra intuentur, quo minus oculos super gregem meum tenuerunt apertos; quo minus vultum pecoris sui attenderunt.

Ibi eo abundantior est eorum fletus; quo minus peccatores ad conversionis lacrymas conati sunt movere.

Ibi eo major eorum desolatio, quo minus desolatas oves in terris consolati sunt.

Ibi eo saevior illorum cruciatus, quo minus patientibus ovibus compassi sunt, et auxiliati.

Ibi eo plus dilacerantur carnes eorum, quo plurium, per scandala sua, fuerunt necatores animarum.

Ibi eo minus exaudiuntur eorum gemitus; quo minus in terris voluerunt necessariae orationi instare, quo negligentius opus meum perfecere.

Ibi tandem eo rigorosius justitiae meae flagella sustinent, quo minus mandata mea quae populis annuntiabant, servaverunt, et quo sic plus caeteris Spiritui sancto restiterunt.

3. Ita est, fili: fuerunt homines mei, amici mei, ministri mei, impinguati, dilatati de bonis meis; et recalcitraverunt contra me, et prodiderunt me, et Spiritui meo contumeliam fecerunt, et meipsum conculcaverunt.

Plus vindicor de ipsis, quam de caeteris iniquis, et plus vindicabor: faex calicis irae meae super eos non exinanietur.

Omnia excelsa ut fluctus furoris mei super ipsos transeunt, et transibunt, et manebunt in aeternum.

4. O fili! time me, qui possum animam et corpus perdere in hanc gehennam.

Vide: ante te vita et mors, coelum et infernus. Elige.

Fili, num poteris habitare cum igne devorante, tu qui non potes vermis infestationem, ignis scintillam, acus puncturam sustinere?

Habitabis tamen, si velis in bonis ducere dies tuos. Haec est enim via lata, quae ducit ad perditionem.

Habitabis, si nolis naturae vim facere: nam soli violenti regnum coelorum rapientes, infernum vitabunt.

Habitabis, si remaneas otiosus: nam

sine labore non datur merces, sed tenebrae exteriores.

Habitabis, si non sis sanctus: soli quippe sancti ibunt in vitam aeternam, et ab igne aeterno praeservabuntur.

5. Fili, cave tibi, attende tibi: quid mereris? Qua nescis hora, ego Filius hominis veniam.

Si cras venirem, si cras moriendum tibi esset, quo ires? Respondeat cor tuum.

Si hodie dignus es inferno, quomodo cras eris dignus coelo?

Fili, cras est dies incerta; et quid scis si crastinum habebis?

CAPUT XIII.

De gemitu Sacerdotis in Inferno.

1. Audi, fili, perditum fratrem tuum sacerdotem: sed non dico miserere ejus: neque enim compassio tua posset illum juvare; quoniam in inferno nulla est redemptio.

Audi: crucior in hac flamma. Quid est, fili? quare non dicit, de hac flamma? sane, quia, praeter ardorem ignis, alium doloris cruciatum in flamma patitur.

Et revera, inclina aurem tuam, et audi

eum. Me insensatum! lassatus sum in via iniquitatis et perditionis.

Me miserum! ambulavi vias difficiles; viam autem Domini quam caeteris indicabam, non sum secutus.

Me miserum! quid mihi profuit superbia? et divitiarum jactantia quid contulit mihi?

Me stultum! transierunt tanquam umbra, fallacia bona quae amavi.

Me infelicissimum! nunquam videbo faciem optimi Patris mei qui in coelis est. Haec requies mea, et nunquam ad illam pertingam. Sitio, et nunquam bibam, esurio, et nunquam manducabo.

Mihi in aeternum nihil aliud superest, nisi luctus, nisi clamor, nisi dolor.

Vae mihi! vae mihi! perditio mea opus meum est; fructus est iniquitatum mearum.

O amina mea! quis te fascinavit, non obedire mandatis Dei mei, quae caeteros edocebam; non obtemperare gratiae quae me indesinenter incitabat?

Ecce peccata caeterorum toties dimisi, et mea in aeternum retenta sunt!

Ecce agnum Dei benignum toties accepi, toties caeteris dispensavi; et mihi in aeternum in crudelem eum mutavi!

Ecce animas defunctorum toties e purgantibus flammis per sacra sacrificia eduxi; et per haec sacrificia meipsum in aeternis flammis sepelivi!

Ecce per damnatorum poenas toties Dei plebem ex officio terrui; et me poenis illis per incuriam et scelera mea devovi!

O si sapuissem! o si intellexissem! o si novissima praevidissem! Vae mihi! vae mihi!

Justus es, Domine, et rectum judicium tuum! nihil est quod debueris facere pro salute mea, et non feceris. Perditio mea, opus meum.

2. Attende, fili, et audi adhuc. Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, et refrigeret linguam meam.

Vos Apostolici, vos Sacerdotes sancti, quorum fui successor! mittite tot oves meas, quae per ministerium meum ad societatem vestram pervenerunt, ut auxilientur mihi.

Quid respondetur, fili? Audi. Recordare quia recepisti bona in vita tua; isti autem cruces et mala. Justum est ut hi nunc consolentur, tu vero crucieris. Cahos impenetrabile inter te et nos firmatum est.

O dolor! o cumulus doloris! non datur

amplius auxilii spes, non consolationis expectatio, non poenitentiae locus, non redemptionis prospectus; sed miserrimae aeternitatis superest solum terribile pondus.

O vermis saeve! ecce quos salvavi, et in aeternum erunt beati! culpa mea perii, et in aeternum torquebor!

3. Attende, fili, et audi tandem. Pater Abraham, vos gloriosi coelorum incolae sancti sacerdotes, rógo vos, mittite saltem quemdam ad fratres meos presbyteros in terra adhuc viventes, ut testentur illis, ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Si quis enim ex mortuis ierit ad eos, poenitentiam agent.

Quid respondetur? Audi. Si Moysen et Prophetas non audiunt; neque, si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

O fili! ecce terribile mysterium audisti. Talis est pravi sacerdotis perversitas, ut nequidem per resurrectionem mortui ad poenitentiam et conversionem sit adducendus.

Et revera, fili, nonne principes sacerdotum et scribae viderunt Lazarum a me ex mortuis suscitatum? Certe.

Tamen cum nec verbis, nec operibus

meis crediderant, neque etiam ad visum mortui illius suscitati in me crediderunt: sed facti sunt e contra mihi magis infensi.

Fidem certe noscit pravus sacerdos, et comminanti fidei resistit: gratiis cumulatur et gratiae trahenti obedire renuit.

Obcoecatur, induratur, et in obcoecatione sua ac induratione moritur; itque tandem in locum tormentorum.

Time ergo, fili, iterum dico, time ne unquam similis ei efficiaris.

Hodie si vocem Domini audieris, noli obdurare cor tuum: sed vide si via iniquitatis in te est; et, si sit, eam continuo amove a te.

Exurge, et intra in arctam viam quae ad aeterna bona ducit.

CAPUT XIV.

De Coelesti Gloria.

1. Fili, ascendi in coelum, et in sempiternum ad dexteram Patris mei sedeo.

Fili, ascende et tu: sume tibi pennas sicut columbae; vola.

In domo Patris mei mansiones multae sunt. Una signata est pro te: praecessi te, ut praepararem tibi hunc locum.

Haec requies tua in saeculum saeculi: elige eam, ut tandem ibi inhabites, et in sempiternum mecum requiescas.

Veni, dilecte mi, in hortum meum, veni: ergo ero merces tua magna nimis.

2. O fili! si haberes oculos cordis tui illuminatos; si scires quae sit spes vocationis meae, et quae divitiae gloriae haereditatis meae in sanctis!

Si nosceres coelum ad quod voco te, in quod compello te intrare; tu sane me praevenires, et ex nunc usque ad ultimum vitae tuae halitum clamares, et indesinenter et cum vehementissimo desiderio clamares:

O Pater bone! adveniat mihi regnum tuum; o Domine! da mihi aquam ejus, ut non sitiam amplius.

Domine, aperi mihi portas regni tui: concupiscit enim, et deficit anima mea in atria tua valde.

3. Scis, fili, quam dulce sit homini diuturnis laboribus fesso, quiescere.

Scis quam jucundum sit aegroto, ab acutissimis doloribus liberari.

Quantumcumque tamen tibi grata et ju-

cunda videatur talis requies, non est figura quietis, quam ego militibus meis paravi.

Quies mundi hujus brevis est, et vix ad perditas vires pro novis laboribus reparandas sufficit.

Mea autem aeterna est, nec aliis ultra turbanda motibus.

Quies hujus mundi imperfecta est, et ab humanis miseriis non liberat.

Meo vero absoluta est, et ab omni dolore, luctu, clamore, angore sanctos meos facit immunes.

Quies hujus mundi leve est hominis peregrinantis solatium.

Mea varo est exultantis animae perpetuum otium: est meiipsius summe beati gaudium.

O fili! quando venerit hora haec felix ubi in illam sanctam quietem intrabis; ab omni necessitate, timore et poena liber eris!

Non erit tibi amplius colluctatio adversus carnem et sanguinem, adversus principes tenebrarum, non amplius per multas tribulationes erit procedendum.

Non amplius peccatum, tribulationes, angustias, famem, persecutionem, gladium timebis.

Non amplius habebis Ecclesiarum sollicitudinem; non amplius clamabis: quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalisatur, et ego non uror? Tunc enim videbis priora abiisse.

Nonne, fili, digna est haec tuis laboribus quies? Ergo tolle, in spe quietis hujus, jugum meum super te; et suave, et leve tibi videbitur.

4. Scis, fili; quid sit in ardentissimis desideriis plene satiari.

Non sane, fili: quia haec in terris satietas dari non potest; et, primis extinctis desideriis, novis continuo succedentibus cor hominis cruciatur.

Verum, fili, noscis saltem quid sit in fame saturari; quid sit in siti potari; quid sit homini cupido ditari; quid sit homini superbo exaltari; quid sit voluptuoso jucundari. Istud apud homines stultos felicitas vocatur.

Verumtamen si aliquis omnibus desideratis abundantissime sic fruatur, nonne ipsius felicitas poterit tibi sanctorum felicitatem adumbrare?

Non, fili, certe non: neque enim oculus vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis ascendit, quae praeparavi ego diligentibus me.

Ibi anima sitiens inebriatur ab ubertate domus meae : ibi torrente voluptatis meae potatur .

Ibi edit de dulcissimo vitae ligno : ibi audit vocem citharaedorum citharizantium et canticum novum ante sedem Dei .

Ibi fulgent justi sicut sol ; ibi exultant sicut victores capta praeda , quando dividunt spolia .

Ibi jam non per speculum et in aenigmate , sed facie ad faciem , me omne bonum eis ostendo .

O fili ! si cognosceres ea quae nunc sunt abscondita ab oculis tuis , sed quae palam tibi fient , quando in lumine meo lumen videbis ! si scires . . . .

Adhuc multa haberem tibi dicere ; sed non posses portare modo ; quia adhuc es sine intellectu .

Sufficiat tibi igitur , fili , quod credis : satis sit tibi scire vitam aeternam tibi reservari ; in vita aeterna hominem vere beatum fieri ; et in hac vita sanctos sacerdotes caeteris aliis multo gloriosius coronari .

5. Gaude , fili , gaude ; quia complacuit mihi dare tibi regnum istud .

Gaude , si pauper sis spiritu : beatus es , quia ad te pertinet regnum meum .

Gaude, si sis mitis: beatus es, quoniam possidebis terram coeli.

Gaude, si luges peccata tua, et peccata fratrum: beatus es, quoniam in aeternum consolaberis.

Gaude, si per zelum tuum esuris et sitis justitiam: beatus es quoniam saturaberis.

Gaude, si misericordiae meae sacramentum erga poenitentes diligenter administras: beatus es, quia tu ipse misericordiam consequeris.

Gaude, si mundo corde me suscipis et recto corde nihil nisi gloriam meam quaeris: beatus es, quoniam me videbis.

Gaude, si pacem caritatis inter oves meas firmare niteris: beatus es, quoniam inter filios meos in coelo laetaberis.

Gaude, si persecutionem propter fidem aut zelum pateris: beatus es, quoniam tuum est regnum meum.

Gaude, si maledixerint tibi homines, et si dixerint omne malum adversem te, mentientes propter me: beatus es, exulta, fili, quoniam merces tua copiosa est in coelis.

Euge, serve bone, converte peccato-

res; fideliter labora in vinea mea: et ego Dominus vineae, et ego Princeps pastorum veniam tibi obviam, et imponam capiti tuo immarcessibilem gloriae coronam.

6. O fili! frequenter cogita de hac jucundissima hora in qua coeli porta tibi aperietur.

Expecta eam, saluta eam, concupisce eam: clama prae desiderio; heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est!

Inclina cor tuum ad faciendas justificationes meas, propter hanc pretiosissimam retributionem.

Multo certe plus laetaberis, quando venies et coronaberis, quam laetaretur ille qui ad regnum suscipiendum de teterrimo educeretur carcere.

CAPUT XV.

De religiosissima Devotione erga Dominum Jesum Christum.

1. Tu qui es, fili? Non aliud certe quam minister Christi mei et dispensator mysteriorum ejus.

O quanto amore debes redamare eum qui talem tibi dedit caritatem!

O quanta cura debes ad verba et mandata tui Regis attendere, ut ea exequaris et ab omnibus perfici provideas!

O quantò studio debes laborare, ut illi in omnibus complaceas!

2. O homo Christi mei! dimitte omnia, et Jesum solum, in animo, in corde, in opere semper gesta, semper retine.

Animum tibi dedi, fili., ut te omni verbo et actu dirigeret. Et ad quid debet animus tuus verba et actus tuos dirigere nisi ad cultum Jesu et ministerium ejus?

Et quis est, qui tuam mentem poterit ad hoc illuminare, nisi ille qui ipsissima sapientia mea est, lux vera, Filius mëus dilectissimus in quo mihi bene complacui?

O fili! ipsum consule, ipsum audi: id est, ejus sacram doctrinam indesinenter scrutare, quatenus lucerna fiat pedibus tuis verbum ejus, et lumen semitis tuis;

Quatenus, in nomine ejus evangelizans, non tuum, sed ejus evangelium annunties; quatenus ipse, non tu, per os tuum loquatur.

O! si per lectionem et mediationem

dictorum ejus posses illum in cor tuum attrahere et vere scire Jesum Christum; quam sufficienter pro te et pro caeteris esses edoctus!

Certe doctrina ejus omnes sanctorum doctrinas praecellit. Haec est scientia quam labia sacerdotis custodient.

3. Fili, cor dedi tibi ut ames: et quem ex toto corde debes diligere, nisi illum qui tibi tanta fecit, in ministerium suum te assumendo?

Et cui arctius debes adhaerere, quam Filio meo, viti verae cujus es palmes?

Et quomodo fructum afferes, nisi per amorem manseris in illa vite?

Et quomodo vives, si non diligas illum cum quo unum corpus es, et membrum de membro?

O felix membrum! Ama caput tuum, nec unquam alio quam ejus spiritu animeris.

Ama caput tuum, neque te unquam patiaris ab ipso separari, non persecutione, non gladio, non fame, non qualibet potestate, non quacumque passione.

Ama caput tuum; et sicut membrum, ex naturali inclinatione, corpori in omnibus fideliter servit; ita et tu Jesu, in

omnibus, ex omni affectu servias, cuncta in gloriam ejus faciendo.

Ama caput tuum: et sicut membrum se tradit, et amputari se pro salute corporis sinit, sic et tu pro Jesu immolari sis semper paratus.

Vive membrum de vita capitis tui; respira de ejus spiritu; gaude de ejus gaudio; dole de doloribus ejus.

Vive per amorem in Jesu, et Jesus in te. O qualiter cum illo proficies! Qualiter cum illo sanctificaberis! Qualiter per illum alios sanctificabis! Qualiter ministerium tuum honorificabis!

4. Vis mihi placere, fili, et fieri mihi dilectus? fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.

Imitare in omnibus actibus tuis Filium meum dilectissimum in quo mihi bene complacui. Hos praedestinavi quos praescivi fore conformes imaginis ejus. Sit itaque ante oculos tuos semper vita ejus; ut funiculis amoris ejus traharis et curras in odorem unguentorum ejus.

Vide caritatem qua me dilexit. Cognovit quod hostiae et oblationes hominum non mihi placerent; et descendit in terras, ut per semetipsum, pro in-

juriis quas ab hominibus sustinui, mihi satisfaceret.

Vide caritatem ejus erga homines: ipsorum peccata tulit super lignum. Vide humilitatem ejus: exinanivit semetipsum formam servi accipiens.

Vide obedientiam: factus est obediens usque ad mortem: quae placuerunt mihi fecit semper. Vide misericordiam: pertransiit benefaciendo et sanando omnes.

Vide poenitentiam: jejunavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus. Vide pudicitiam: tanta fuit, ut mirarentur Apostoli quod cum muliere Samaritana loqueretur.

Vide humanitatem: ad Lazari tumulum lacrymatus est: viduam Naim consolatus est. Vide paupertatem: non habuit ubi caput reclinaret.

Vide zelum: quomodo coarctor, usque dum perficiatur opus quod incepi pro gloria Patris et salute hominum! Vide devotionem: erat pernoctans in oratione Dei.

Vide paternam providentiam: ne dimitteret jejunos in domum suam, multiplicavit panes et pisces in deserto.

Vide amabilitatem; talis erat, ut om-

nes cuperent eum videre. Turbae sequentes eum, se invicem conculcabant. Zachaeus ascendit prae turba in arborem, ut videret eum.

Vide mansuetudinem: adulteram absolvit, Judam proditorem osculatur, pro inimicis orat. Vide cordis rectitudinem: non quaero gloriam meam, sed ejus qui misit me Patris.

Vide stupendam liberalitatem: accipite et manducate corpus meum; bibite sanguinem. Vide patientiam in adversis: Pater, fiat voluntas tua; sicut agnus coram tondente se obmutuit.

Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui: hic est Sacerdos magnus, sacerdotum exemplar et regula. Sequere, fili, hanc regulam, et pax mea erit super te.

Imitator esto Christi mei, et complacebit mihi in te. Hanc semper tene viam, hanc perpetuo contemplare veritatem, hac vita indesinenter vive.

5. O Jesu! Pastor bone, qui in terris visus es et cum hominibus conversatus es, da ut continuo meditans in mandatis tuis, sanctissima doctrina tua replear.

Da ut semper memor beneficiorum tuo-

rum, amore tuo magis ac magis accendar. Da, ut jugiter considerans perfectiones tuas, tibi fiam in dies conformior.

O anima mea! lauda ubique Jesum, ama ubique Jesum, adora ubique Jesum, offer te ubique Jesu, suspira indesinenter ad Jesum, quoadusque expires in Jesu, et regnes in aeternum cum Jesu. Amen.

CAPUT XVI.

De Passione D. N. J. C. jugiter memoranda.

1. Ego, fili, auctor fidei et consummator sustinui crucem, confusione contempta: ut tu in me aspiceres, et de ligno vitae in quo pependi, Spiritum sanctificantem tibi indesinenter attraheres.

Amen dico tibi: si intente et devote in passione mea te exercere cures, ibi omnia utilia et necessaria tibi abundanter invenies.

Aperi ergo cor tuum mihi, et sine me crucifixum in illud intrare: brevi mire edoceberis.

Fige oculos cordis tui in crucem meam, et brevi traheris.

2. Rabboni, Magister optime, loquere, quia audit servus tuus.

Veni ad pauperculum tuum, et accende cor ejus; illumina oculos ejus, et fac ut videat.

3. Fili, ecce venio: inclina aurem audi, homo bonae voluntatis: dilexi te, et tradidi memetipsum pro te.

O si caperes verbum istud, brevi certe responderes: Domine, tu scis quia amo te.

Intellige igitur, fili: dilexi te, et tradidi memetipsum pro te; me Creatorem, pro te creatura; me Patrem, pro te prodigo filio; me Deum, pro te homuncione;

Me offensum, pro te offendente; me benefactorem, pro te ingrato; me summe beatum, pro te miserrimo;

4. Domine, quid fecisti mihi sic? scio quia Pater tuus semper te audit. Si dixisses verbo, profecto statim sanavisset animam meam, et remisisset iniquitatem peccatorum meorum.

Quare igitur tot laboribus requisisti me? tali morte redemisti me?

5. Fili, per hoc clarificatus sum; et

per hoc clarificatus est Pater meus in me.

Vide et cognosce quae sit latitudo, longitudo, sublimitas et profundum supereminentis caritatis meae erga te.

Poteram utique verbo, poteram lingua te liberare, et volui opere, volui manifestissima voluntate te salvum facere.

Volui ponere pro te animam meam; ut tu scires mea erga te dilectione majorem esse nullam.

Volui te in cruce sanguine meo rigare; ut tu bonitate mea tactus, jam erubesceres tantum Redemptorem non amare.

Volui, vulneratus propter iniquitates tuas, coram te stare; ut tu intelligeres qualem dolorem mihi pariant peccata tua in occulto corde.

Volui delictorum tuorum plagas in carne mea ferre; ut tu compassione motus, desineres peccata peccatis, plagas plagis addere.

Volui tandem o Sacerdos! sic pro te pati; ut tibi relinquerem exemplum, et tu vestigia mea sequereris.

6. Hos, fili, praedestinavit Pater meus, quos praescivit imagini filii sui fore conformes.

Respice ergo in faciem meam; ut

eam deinde in te exprimas, et sic salvus fias.

Vide me in agone prolixius orantem: et disce orationi indefessus, et sine taedio instare.

Vide me calicem amarissimum de manu Patris suscipientem: et disce labores, contradictiones, et omnia saeva sacri Ministerii patienter et cum submissione portare.

Vide me ab Apostolis meis dormientibus derelictum in profundo, moerore: et disce in adversitatibus, etiam sine consolatione, constanter te gerere.

Vide me a Juda proditum: et disce falsos fratres tolerare.

Vide me Judam amplectentem: et disce inimicis pacis osculum non denegare.

Vide me ligatum in Jerusalem duci: et disce vincula et opprobia pro me sustinere.

Vide me injuste ligantibus et ducentibus non resistentem, sed instar agni mansueti os non aperientis cedentem: et disce a litibus et contentionibus abstinere.

7. Perge mecum, fili, in Jerusalem: sequere me; ibi quoque docebo te.

Ecce principes sacerdotum Annas et Caiphas me ad mortem postulant : time tu, fili, ne, cum sacerdos sis, peccando plus etiam caeteris me offendas, gloriae meae plus caeteris noceas.

Ecce coram persecutoribus meis constanter sto : noli ergo timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.

Ecce a servo sacerdotis alapa caesus, patiens sum; da tu patienter percutienti te maxillam; et diligenter attende, ne qui tibi ministrant, sint filii iniquitatis, scandalis suis me caedentes.

Ecce inter falsos testes accusantes me taceo : tu, fili, in injuriantes, exprobrantes, deridentes, detrahentes ne irascaris.

Ecce tanta passus somnum non capio; sed tota nocte inter subsannantes et verberantes me vigilo : tu saltem, fili, in quiete corpori tuo danda, sobrius esto.

Ecce Petrus, alias generosissimus et firmissimus, me in atrio principis sacerdotum trina vice negat : tu fili, quanto major es, quanto firmius te stare credis, tanto plus time, ne in occasione etiam cadas.

Ecce Petrum poenitentem, sine dila-

tione misericors respicio : tu , fili , erga eos , qui erraverunt et revertuntur , esto suavis et benignus .

Ecce pusillanimis Pilatus me innocentem non audet liberare , sed metu fractus tradit : tu , fili , noli fieri judex , nisi valeas vitute irrumpere iniquitates .

Non consideres vultum potentis , et cave ne , prae timore , aut culpabili indulgentia , in tribunali , me sanctissimum canibus tradas .

Ecce veste alba indutus , quasi insanus ab Herode dimissus sum : tu , fili , ne timeas stultus haberi propter me et conclamari .

Ecce Barabbae sum potspositus : tu , fili , ama nesciri et pro nihilo reputari ; patere te sub omnium pedibus conculcari .

Ecce flagellis dirisssime pro te caesus sum : tu , fili , mortifica membra tua quae sunt super terram , ut spiritus salvus fiat ; luge , et poenitentiam age pro peccatoribus .

Ecce spinis crudeliter et probrose sum coronatus ; ecce homo sum , non habens speciem , neque decorem : tu saltem , fili , vano decore speciem tuam non exornes .

Ecce ego spiritum , prae vulneribus et plagis , vix trahens , crucem pro te ferre

non recuso : tu saltem, fili, jugum meum quod suave est et leve, amanter tolle super te..

8. Veni adhuc, fili, et ascende mecum in Calvariam ; attende iterum, et erudire.

Quid dicit tibi via sudore meo et cruore rigata, nisi quod tu, pro animabus quaerendis et lucrandis, debeas libenter per vias et sepes in sudore et fatigatione currere ?

Quid flentes mulieres, nisi quod passioni meae meditandae debeas incumbere, doloribus meis compati, et peccata tua, quae illorum causa fuerunt, imprimis lugere ?

Quid mearum vestium spoliatio, nisi quod paupertatem debeas aequanimiter ferre ?

Quid mea in cruce extensio et confixio, nisi quod carnem tuam, cum vitiis et concupiscentiis, debeas crucifigere ?

Quid meae crucis elevatio, nisi quod per multas tribulationes oporteat te ad regnum coeli elevari ?

Quid mea de aceto et felle potatio, nisi quod sobrie vivas, et splendide epulari non cupias ?

Quid latro ad dexteram meam salvatus, nisi quod de misericordia mea nunquam debeas desperare ?

Quid peccator ad latus bonitatis meae periens, nisi quod de clementia mea non debeas praesumere?

Quid mea pro crucifigentibus me oratio, nisi quod debeas pro nequissimis peccatoribus exorare et infensissimis inimicis tuis libenter veniam dare?

Quid meae matris commendatio, nisi quod debeas illam piissime venerari, et fiducialiter colere?

Quid mea pro te mors, nisi quod debeas etiam pro fratribus animam tuam ponere?

Quid sol, luna, saxa, terra, super me mortuo lugentia, nisi quod saxo ipso durior sis, si super morte mea tu ipse non afficiaris?

Quid inimici mei pectus percutientes, nisi quod crux mea sit fons contritionis et gratiarum uberrimus.

Quid latus meum per militis lanceam apertum, nisi quod debeas in illud per amorem intrare, et in illo vivere?

Quid Nicodemus me de cruce levans, aromatibus condiens, et in sepulchro novo reponens, nisi quod debeas sacramenta mea cum summa cordis munditia suscipere et ministrare, de gloria domus meae, altarisque mei sollicite curare?

9. Haec meditare, fili; in his esto: et fiet tibi in cruce mea salus, vita, protectio ab hostibus, infusio supernae suavitatis.

CAPUT XVII.

De sincera Devotione erga Beatissimam Virginem Mariam.

1. Ego sapientia aeterna quae in altissimis habito, descendens in terras, volui in mundum intrare per Mariam. Per ipsam salutem hominum operatus sum: per ipsam quoque, fili, statui dare tibi sapientiam et sanctitatem.

Filius meus es: ego ero tibi in patrem; Mariam in matrem. Infirmus es: ego sum Dominus confortans; Maria advocata tua, ut mea auxilia pro te petat.

Peccator es: ego miserator et misericors; Maria refugium peccatotum, per quam possis impetrare misericordiam.

Ad coelum tendis: Deus coelorum sum; et illa Regina coeli, ut in regnum meum possit tibi aditum obtinere.

Sacerdos es, sanctus esse debes: ego supremus virtutum et omnis sanctitatis largitor, Maria dispensatrix.

Vis ergo, fili, gratiam consequi et gloriam? Clama ad matrem, cole Mariam:

per ipsam preces tuas exaudiam; monstrabo illi me esse filium, et ipsa tibi monstrabit se esse matrem.

2. Janua est coeli Mater mea. Per ipsam dona mea descendunt ad terras et per ipsam de terra sancti ascendunt ad me.

Numera, fili, si potes, quot per ipsam peccatores converterim, quot conversos perfecerim et sanctificaverim; quot per ipsam acceperint continentiae donum, quot passionum victoriam, quot coelestis gloriae coronam.

Vide Augustinum, Joannem Damascenum, Germanum, Anselmum, Bonaventuram, Bernardum, Dominicum, Vincentium Ferrerium, Xaverium, et tot alios sacerdotes Mariae servos, sanctitate adeo conspicuos.

Nonne, per Mariam illos sanctificavi? Num per aliam portam ingressi sunt in regnum meum quam per Mariam?

Numera si potes, quot mortuos protectio ipsius suscitaverit, quot aegrotos sanaverit, quot a periculis liberaverit, quot in mari, quot in igne, quot in bello, quot in fame, quot in peste.

Numera quot regna stabiliverit, quot imperia servaverit, quot invocantibus exercitibus dederit victoriam, quot haeresibus finem....

Tantam Matri potestatem contuli ego Dominus: sic Matrem volui honorare.

3. Et tu, fili, debes meam sincero corde colere matrem; non tantum protectionis desiderio, sed et verae dilectionis affectu.

Mater tua est; ergo debetur ipsi honor tuus. Mater mea, est templum meum, sanctuarium meum; ergo ipsi veneratio tua debetur.

Gratia plena est; ergo debetur ipsi laus benedictionis tuae. Misericors est; ergo debetur ipsi fiducia tua. Regina sanctorum est, et Domina tua; ergo debetur ipsi servitus tua.

Placet Patri, qui diligit filiam; placet filio, qui diligit Matrem: placet sponso, qui diligit sponsam. Cole ergo Mariam; et Patri, et Filio, et Spiritui sancto placebis.

4. O fili! Maria Mater mea est, utique formosa mea, speciosa mea, amica mea.

Ego volui, ego praecepi, ut beatam dicerent eam omnes generationes, eamque piissime colerent: quia ego qui potens sum ipsi magna feci; ego volui, ego praecepi, et sicut praecepi sic factum est.

Laus ipsius et cultus ejus in Ecclesia mea nunquam defecerunt. Vide festos

ipsi dies, quam sint crebri et solemnes: hymnos in illius honorem, quam frequentes.

Hanc ubique exaltant concionatores; hanc ubique colunt populi; ipsi devoti sunt omnes qui recto sunt corde. Sic volui, sic praecepi.

Sacerds es: voluntatem meam imple, honorem Mariae Matris meae ubique promove: hanc ubique exalta; ubique lauda; ejus cultum, quantum potes, commenda.

Beatus ille sacerdos qui servus est Mariae, ipsique servos congregat! Beatus populus qui illam colit! Hi accipient benedictionem à Domino, de rore coeli et de pinguedine terrae; gratiam in hoc saeculo et gloriam in futuro. Servus Mariae non peribit.

5. O Virgo ter beata! Suscipe me in servum, quae sub cruce jam suscepisti me in filium. Monstra te esse Matrem, me reddendo erga te piissimum.

O Virgo potens! quae draconem contrivisti; contere passiones meas, solve vincla vitiorum meorum.

O Virgo! ad cujus nutum coelorum thesauri dispensantur, impetra gratias quas mihi scis expedire; obtine fidem fir-

mam, spem securam, caritatem igneam; orationis donum; impetra castitatem, humilitatem, contemptum saeculi, zelum animarum.

O Virgo, auxilium christianorum! In omni angustia adjuva me, ab omni periculo libera me, et in vita, et in morte. Haec quotidie laudans rogabo te: et in te inimicos meos ventilabo cornu, spernamque insurgentes in me.

6. O Maria! Serviant tibi populi, honorent te tribus, incurventur ante te omnes gentes.

Det mihi Dominus, ut cultum tuum quacumque dilatare possim, et hostes tuos debellare. Amen.

CAPUT XVIII.

De ardore animi ad divina.

1. Ego facio ministros meos ignem urentem, dicit Pater meus.

Vis ergo, fili, esse dignus minister et sacerdos? Cura ut cor tuum ad divina semper ardeat. Totus ignitus esto.

In veteri tabernaculo, debuit ignis perpetuus ardere: hoc in figura factum est.

Hinc disce, fili, ignem sanctum in cor-

de tuo enutrire : est enim cor tuum , non figurativum , sed reale , sed verum Dei tui tabernaculum .

2. Ego , fili , descendi de coelis ad gloriam Patris et animarum salutem procurandam ; non necessitate , sed caritate trabente . Habui in corde meo ignem exaestuantem et defeci ferre non sustinens .

Ignem hunc veni mittere in terram ; et quid volo , nisi ut accendatur ? Misi te ut illum accenderes : et quomodo accendes , si tu ipse illo careas , si tu ipse sis frigidus ?

Ardeas ergo , fili ; ardeas ad divinam gloriam ; ardeas ad salutem animarum . Excute frigescentis cordis teporem : ardeas desideriis , ardeas verbis , ardeas operibus .

3. Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum , sic tu , fili , impetu quodam animi succensus ad divinum obsequium et sancti ministerii officia anhelare debes , ut ea recte peragas .

Tota , fili , tota sit animi tui intentio in his sanctis operibus ; totum sit animae tuae desiderium et cupiditas ea bene perficiendi .

Tota denique in hoc sit mentis tuae attentio , ut nihil à te praetermittatur ,

quod ad gloriam meam, aut proximi salutem pertinere videris.

4. O Domine! Superangelicum est officium meum: non enim Angelis commisisti tale ministerium.

Da ergo mihi, ut angelica promptitudine, fervore et alacritate, studeam illud adimplere.

Domine, divinum est ministerium mihi creditum: non ego illud operor, sed tu per me indignum servum tuum.

Concede igitur ut, cum me tanto digneris honore afficere, omni quo possum zelo, omnia qua possum reverentia, studeam me in hoc tam sancto servitio gerere.

5. Obsecro, Domine, obsecro suppliciter; da mihi aurum ignitum sancti ardoris, ut cum fervore tibi possim ministrare.

O Jesu! O cor divini amoris incendium! Mitte in cor meum scintillam ignis illius qui in te exaestuat: suscita in me spiritum flammeum et urentem: imprime mihi caritatem tuam; ut opus tuum digne perficiam.

O amor qui semper ardes et nunquam extingueris! Accende me.

CAPUT XIX.

De Tepore.

1. Vaę tibi, fili, si tepescas in servitio meo! Vae tibi! Incipiam te evomere ex ore meo.

O! si sentires quale malum sit cordi meo displicere, ipsi horrorem movere, ab ipsoque tandem, tanquam aliquid execrabile rejici, profecto nihil magis timeres quam tepescere, et de tuo primo ardore sensim per negligentias cadere.

2. O insensati illi qui a vigore gratiae, sua culpa, sic deficiunt, et paulatim ruentes, mihi denique fiunt abominabiles.

O miseri! Se credunt divites, nullius egentes: et nesciunt quia sunt miserabiles, pauperes, coeci, et nudi.

3. Verumtamen, fili, quam multi tales inter sacerdotes meos! Quam multi qui, dum statum tenent perfectum, nihil minus curant quam perfectionis studium!

Ventri indulgent; moribus saecularium se conformant; convivia appetunt, et sine refraenatione sectantur; congerendis pecuniis student; inter mulierum consortia amant ridere.

Colloquiis inanibus, imo et detractoriis tempus terunt; vanitati interius exteriusque dediti cernuntur; lectioni et meditationi rerum sacrarum vix quidquam temporis impendunt.

Mundani sunt, animales, terrenni, liberiores, scioli et inani scientia tumidi, dominatum ambientes: et tamen nihil sibi timent, ad cor non ingrediuntur, ut miseriam suam et egestatem cognoscant.

4. Sufficit eis quod Horas canonicas non omittant; quod rogati sacramenta administrent; quod Missas obligationis tempore celebrent; quod scandalum publicum non exhibeant; quod peccatis mortalibus conscientiam oneratam non sentiant.

Dicunt se ad perfectionem majorem non teneri. Altioris pietatis studium, vel hypocrisim vocant, vel ad religiosas moniales spectare proclamant. Rectam aliorum conscientiam sua timoratiorem, scrupulosam vocant.

Sic in vitiis ordinariis totum vitae tempus transigunt: puritati cordis non student; languide et perfunctorie, sine spiritu interiore, sine zelo, divina obeunt ministeria..

O status periculosus! et eo periculo-

sior, quo non attenditur periculum ejus.

5. O fili! si taliter vivis, contremisce. Appensus es in statera, et inventus es minus habens. Time iram Omnipotentis: maledictus qui facit opus ipsius negligenter.

Festina igitur, et sine dilatione festina resuscitare gratiam quam per manuum impositionem accepisti.

Clama ad caritatis fontem, ad Jesum cui proprium est misereri. Clama et dic: erravi sicut ovis quae periit: quaere servum tuum, Domine.

Clama et dic: salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam. Eripe me de luto, ut non infigar, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum.

Deus, qui mortificas et vivificas, miserere mei, et resuscita me. Intona super me judicia tua: concute tremore omnia ossa mea; ut saltem ad vocem terrificae tuae tubae, e gravi somno meo resurgam.

CAPUT XX.

De pura intentione.

1. Fili, oculus meus fuit simplex; et idcirco totum corpus meum fuit lucidum.

Ego gloriam meam non quaesivi, sed gloriam Patris. Propter ipsum omnia opera mea feci; idcirco sibi in me complacuit. Exemplum dedi tibi, fili, ut, quemadmodum ego feci, et tu facias.

Attende, ne justitiam tuam peragas, vel coram hominibus, ut videaris ab eis, vel ob alium terrenum finem, ut aliquid commodi percipias.

Tibi servires, non Patri, cui soli servire debes; non haberes mercedem in coelis. Teipsum quaereres, et teipsum invenires; sed ad tuam perniciem. Fur esses, gloriam Patri debitam usurpares, sicut Lucifer.

Fili, numquid decet penicillum gloriari de pictura pingentis, aut calamum de scriptura scribentis?

Et quid es, o inanis homo! nisi instrumentum vile quo Pater meus, pro velle et beneplacito suo utitur!

2. Vigila super teipsum, fili; in omnibus propone tibi finem sanctum; et animum tuum facile labilem ne permittas distrahi, et aberrare ab illius finis pura intentione.

Daemon non dormit. Ille vanitatis princeps subtilis est: semper circuit quaerens ut furtim irrepat, et sacris se etiam actionibus immisceat.

Cave, fili, vix est ignis sine fumo. Si ergo aliquid, zelo honoris divini et salutis proximi, facere proponas; attende ne Satan tuam detorqueat intentionem ad aliquod vanae laudationis desiderium.

O aerugo depascens! O tinea corrodens! Quot bona opera quotidie corrumpit vana gloria!

3. Vide, fili, insidias inimici; quot in via qua ambulas abscondit tibi laqueos.

In principio operis, conatur depravare intentionem; in decursu, vanam complacentiam insinuare: in fine, fastidium suggerere. Vigila ergo: iterum dico; vigila.

4. Heu! quot miseros quotidie decipit et illaqueat ille tenebrarum angelus!

Quot infelices ad sacros ordines et divina mysteria inducit: non ut panem coelestem, sed terrenum; non ut gratiam, sed lucrum adipiscantur:

Non ut Dei honorem, sed ambitionem; non ut animarum salutem, sed pecuniarum quaestum metant:

Non ut mihi mundo corde et corpore serviant, sed ut delicientur, ditentur, superbiant, luxurientur de patrimonio meo, et eleemosinis populi mei.

Quot, propter hoc sanctuarium in-

grediuntur, quot propter hoc ecclesiam frequentant, missas celebrant, psalmos decantant!

O fili: Ne vestigia pedum illorum terat pes tuus. Quae sursum sunt sape, non quae super terram. Tu nihil aliud quam Dei placitum et proximi salutem intende et quaere; et interna libertate perfrueris.

O fili: aemulator esto gloriae Patris coelestis, sicut filius optimus. Lucrum ipsius et profectum ejus semper intende, sicut fidelis servus.

Clama, et dic ex tota mente: inclina cor meum, Deus, in servitium tuum et non in avaritiam.

5. Fortis esto in bello, et pugna viriliter cum antiquo serpente. Pugna mane: de luce vigila ad Deum; ipsi omnia cogitanda, dicenda et operanda offer in gloriam; omnem finem perversum, qui furtim posset irrepere, expresse abdicans.

Hoc erit tibi scutum fortissimum contra inimici insidias.

Si deinde venerit ille, et per vanam gloriam tentaverit opera tua sibi vindicare; respondebis: sero nimium venis; omnia jam divinae gloriae oblata sunt;

omnia in illius sunt possessione : nulla tibi pars remanet .

6. Pugna per diem ; actualiter , quantum poteris , Deo omne opus offer .

Dic ei : Domine , volo hoc facere , ut tibi placeam et gloriam tuam procurem ; ut beneplacitum tuum exequar ; et idcirco quantum perfectius potero , illud peragere volo .

Vigila deinde : et si videris vanitatis serpentem dolose appropinquantem , appropinqua et tu ; et caput ejus contere . Dum parvus est serpens , interfice eum .

Clama : neque per te , maligne spiritus , opus hoc inchoavi , nec propter te peragam illud . Ad majorem Dei gloriam inceptum est ; ad majorem Dei gloriam perficiam . Recede a me , seductor pessime .

7. Vigila iterum post actionem examina temetipsum ; et si te a serpente laesum inveneris , cura statim vulnus superbiae , per remedium humiliationis . Exurge , et sume vires fortiores prioribus .

Demum omnia opera tua sub oculis meis fac , quasi me videres praesentem . Et si te senseris debilem , me statim in

adiutorium tuum invoca: ego veniam, et confortabo te.

Sic, fili, sic pugna; et brevi oculus tuus fiet simplex, et totum corpus tuum lucidum erit.

CAPUT XXI.

De Studio fundamentalium Virtutum.

1. Non folia, sed fructus in ficulnea quaesivi; et non inveniens, maledixi ficui; et arefacta est.

Hoc ad doctrinam tuam, fili, factum fuit et scriptum; ut scias me non speciem virtutum, sed medullam et realitatem a te exposcere.

Numquid placere mihi potest paries dealbatus, si fodiens parietem, inveniam sub ipsa ossa mortuorum?

O fili: Ne emundes tantum exteriora calicis tui. Non sufficiat tibi magnificare fimbriam tuam.

Scito quod ego sim Spiritus, et eos qui me adorant, oporteat in spiritu et veritate adorare. Homines enim vident faciem; ego autem cor intueor.

2. Audi fili: humilis esse debes. Sed

non sufficiat tibi oculos dimittere, communibus indui vestibus, simplicem et modestam gerere formam. Si in his ambulans, despectionem etiam ferre non vis, humilitas tua vana est, superbia facta est.

Patiens esse debes: Sed non sufficiat tibi esse agnum in pascuis; debes etiam esse in occisione. Si tribulationem ferre recusas; patientia tua vana est, impatientia facta est.

Debes esse obediens. Sed non sufficiat tibi mansuetis obtemperare magistris, obsequium discolis recusando; aut obedire in aliquibus, et in aliis reluctari.

Si coarctationem ferre refugis; obedientia tua vana est, rebellio facta est.

Amare paupertatem debes. Verum non sufficiat tibi mediocritatem ferre, sed et penuriam. Si indigere renuis; paupertas tua vana est, cupiditas facta est.

Debes pro peccatis tuis poenitentiam agere. Sed non sufficiat tibi, quod confitearis et dorsum incurves; debes corde dolere, spiritu compungi, vitia emendare, corpus affligere. Sine emendatione poenitentia tua vana est; sine afflictione mortificatio nulla.

Demum debes virtutibus pollere. Sed non sufficiat tibi curare de specie; debes et de labore virtutum curare. Nemo potest esse victor sine pugna sic nec virtutem colere sine violentia.

3. Vide Mariam Matrem meam. Astitit quidem a dextris meis, in vestitu deaurato, circumdata varietate: verumtamen omnis gloria ejus ab intus fuit.

Vide Carolum servum meum. Non folia tantum, sed et fructus sanctitatis tulit.

Castus dicebatur: sed et castum se probavit, seductricem puellam, in juventute labili, fortiter vincendo.

Patiens appellabatur: sed et se mansuetum demonstravit, percussorem suavissime tolerando.

Firmus dictus est; sed et firmum se exhibuit, jurisdictionem ecclesiasticam contra minas et potestates tuendo.

Zelo et pietate repletus credebatur: sed se zelo et pietate plenum ostendit, vitam suam in media peste exponens, ut aegrotis sacramenta et solatia praetenderet.

4. Tu Vero quis es, fili? Tu qui nomen habes quod vivas, nonne quotidie moreris? Nonne forsan levissimus flatus inanem tuam virtutem facile evertit et dejicit?

Nonne labitur tua, in minimis occasionibus, castitas? Tua, in minimis dicteriis, humilitas?

Nonne ruit tua, in levioribus puncturis, patientia? Tua, in minimis laudibus, modestia?

Nonne evertitur tua, in conviviis, sobrietas; tua, in egestatibus, caritas?

Nonne perit tuus, in lucri occasionibus, divitiarum contemptus? Tua, in favore conferentium, honorum aversio?

Nonne zelus tuus confunditur, in conspectu potentium? Nonne labiis me honoras, et cor tuum longe est a me? Esto vigilans: vide an opera tua plena sint coram me.

5. O Domine! Spiritum rectum innova in visceribus meis; spiritu tuo principali confirma me: ut in solida virtute cor meum stabiliam, et in sanctitatem veritatis, salutis meae aedificium construam: ne, cum apparuero coram te judicante, dicas mihi:

Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum meum: nescio te, nunquam novi te, recede a me: pars tua sit cum hypocritis; ibi erit fletus et stridor dentium.

CAPUT XXII.

De humilitate.

1. Fili, aliis praelatus es: cave ne susceptae benedictionis beneficium vertas ad ambitionis argumentum. Cave ne domineris in Cleris.

Superbia est coram me, et Angelis et hominibus odibilis. Ipsa tamen mentes illorum qui ad statum sublimem à Patre meo erecti sunt, facile invadit, nisi accuratius vigilent.

Vide, quomodo Luciferum angelorum principem vicerit; et de alto caelo, ad ima inferi detraxerit.

Vide, quomodo in mea societate, humilitatis meae discipulos tentaverit. Contentionem inter se habuerunt, quis eorum videretur esse major: et duo ex ipsis, alter dexteram, alter sinistram meam in regno Patris mei ambierunt.

Ergone, fili, a superbiae tentatione te tutum credes? O quanto major es, humilia te in omnibus. Noli altum sapere, sed time.

2. Amen, amen dico tibi: nisi efficiaris sicut parvulus, non intrabis in regnum meum.

Esto humilis, fili: hoc in religione et disciplina mea primum, hoc secundum, hoc tertium.

Utique tota et vera christianae sapientiae disciplina in vera ac voluntaria humilitate consistit.

Haec fundamentum est fidei, redigens omnem intellectum in captivitatem: haec caeterarum virtutum radix, sicut omnis peccati initium superbia est: haec verae pietatis et devotionis mater, nutrix, columna et anchora est;

Et tu, fili, si sine ipsa virtutes congregas, in ventum pulverem portas. Vere omnia tua bona opera nulla erunt, nisi humilitate condiantur.

Sine hac, vitae tuae asperitas, hypocrisis mera erit; alta contemplatio, illusio; ipsa paupertas, inanis vanitas.

Imo peccator humiliatus plus mihi placeret, quam tu multis alias virtutibus insignis, si humilitate careres: iste, fili, descenderet in domum suam justificatus a te.

3. Tu scis, fili, quia perfectus eris, si sis sicut ego magister tuus.

Vis igitur imitator mei esse, sicut filius charissimus? Esto humilis et imitaberis. Ego enim non alium me exhibui, quam

mitem et humilem corde.

Scis quia, cum essem Filius Dei, exinanivi memetipsum, formam servi accepi, habitu inventus sum ut homo.

Quin imo in passione mea fui quasi vermis, et non homo; opprobrium hominum et abjectio plebis.

Vide, vide quanta tibi adsit me imitandi facilitas.

Etenim si omnibus, uti poteram, imperassem; si mundi honores, uti mei juris erat, mihi vindicassem; si in omnibus primus et princeps, uti aequum erat, esse voluissem, tu merito dixisses, fili: et quomodo Salvatorem meum sequar?

Dominari, praeesse, regnare, omnibus potentia et gloria praecellere, in mea potestate non est: aemulatores semper inveniam, qui impedient, qui obstabunt.

Unus est qui accipit bravium: quomodo potero ita festinanter currere, ut praeveniam et comprehendam?

4. At, fili, si vis, uti debes, me in via humilitatis, in qua te praecessi, sequi; res per se omnino facilis est.

Descende: nullus obstabit quin amplius et amplius descendas. Perge; nullus tibi itineris terminum, aut invidebit assequendum, aut jam assecutum a te auferet,

Quin, imo omnes te ad descendendum amplius et amplius in profundum juvabunt: omnes te ultra terminum adhuc pergere compellent.

Tu scis enim, fili, quia omnes exaltari amant; omnes libenter alios sub se vident. Si igitur in primo loco recumbis, secundus tibi libenter suum pro primo cedet; tertius, suum pro secundo; novissimus, suum pro penultimo.

Et cum illum novissimum occupaveris, nullus certe conqueretur, nullus aemulabitur.

Verum locus hujus mundi novissimus est eo ipso primus humilitatis locus.

Tibi igitur eo facilius est ad apicem humilitatis pertingere, quo aliis difficilius est gloriae culmen obtinere.

Ergo, fili, curre ad novissimum locum, et nemo te impediet: ergo omnibus te inferiorem exhibe et nullus conqueretur.

Ergo viliora pro te sume, et nullus disputabit; ergo deteriora de te crede, et nullus invidebit.

Et quanto plus te sincere humiliaveris, tanto plus non solum mihi, sed et ipsis hominibus placebis.

O quanta tibi patet tuum magistrum sequendi facilitas!

5. Tolle, fili, tolle jugum humilitatis super te, et invenies pacatissimam requiem animae tuae. Utique dabitur tibi pax mea, quae omnem sensum exsuperat.

Audi me, fili. Si ad hoc perveneris, ut nullatenus honorari et aestimari ambias, sed e contra fugias, imo contemni, vilipendi appetas: quid te ultra perturbare poterit?

Quid ad te despectus, quando tibi iniuriae in deliciis erunt? Quid colaphi, quando cum gaudio alteram maxillam percutienti porriges?

Quid ad te caeterorum exaltatio et jactantia, quando tu nihil nisi humiliationem amabis?

Beatus, fili, beatus vere eris, cum viam sanctae humilitatis ambulaveris.

6. Verum in hoc praesertim gaudium tuum erit plenum, quod nempe, eo ipso quod humilitatis perfectionem habueris, amorem quoque meum possidebis.

Nunquam enim invenitur cor plenum humilitate, quin sit plenum amore, quo anima mihi perfecte unitur et mecum unum perfecte fit.

Gusta, fili, gusta humilitatem; et videbis quoniam ego humilibus, suavis sum, humiles diligo et consolor, illis me in-

clino, illis gratiam magnam largior, illis secreta mea revelo, illos ad me dulciter traho et invito. Gusta, et videbis.

7. At, fili, diligenter cave, ne umbram humilitatis pro ipsa humilitate sumas.

Ne arbitreris te esse humilem, eo ipso quo noveris te esse tanquam nihilum ante me, nisi etiam te volueris tractari tanquam nihilum.

Bonum quidem et optimum est, ut nihileitatem tuam cognoscas: cognitio haec via ad humilitatem est, praeviaque animi comparatio; non autem ipsa virtus.

Cura ergo ut non in intellectu, sed etiam in intimo corde humilis sis, volens revera vilipendi, in hoc consistit vera humilium virtus.

Hic opus, fili, hic certe labor est, et nonnisi violenti istud rapiunt: non enim facile homo a se ipso exuitur.

Verum, fili, noli amittere confidentiam tuam. Memento quia omnia potes in eo qui te confortat.

8. Macte animo, dilectissime: crede te humilitatem, quam Sancti mei assecuti sunt, fore etiam assecuturum, dummodo iisdem mediis, quibus ad hoc usi sunt, tu ipse uti volueris.

Igitur tu sicut illi considera frequen-

ter ea quae habes te dimittendi potentissima motiva: peccata tua, defectus tuos, infirmitates tuas, tuam ad malum proclivitatem, tuam ad bonum tarditatem.

Tu sicut illi varios humiliationis actus crebro exerce.

Conare sicut illi, ut velis nesciri, ut nihil magni de te sentias vel loquaris, ut omnium te ultimum judices, ut teipsum non aliter quam eos, quos vere et serio contemneres, tractes.

Conare, ut si ab aliis contemneris, id patiens et silens sustineas: quin imo gaudens Deo ex hoc gratias agas.

9. Humiliare voluntarie, sciens quoniam latrones invite humiliati, non ideo humiles sint.

Humiliare sincere, cognoscens quia ficta humilitas superbia et hypocrisis est.

Humiliare prudenter; ne te plus quam decet abjiciens, ovium tuarum vitam sub disciplinae vinculo continere non possis.

10. Humiliare, o Sacerdos Dei tui! Sciens quia ad Principes gentium pertinet ut earum dominentur; vos autem non sic: sed qui major est inter vos, erit minister aliorum, ita ut non recuset etiam illorum pedes lavare.

Humiliare, Sacerdos, sciens quia quo

plus humiliatur presbiter in animo, eo plus exaltatur in ministerio; et quo plus se abjectum et infirmum agnoscit in conspectu meo, eo plus per ignobilitatem ejus fortia quaeque confundere amo.

Humiliare, fili, sicut Joannes Baptista; et ponam os tuum sicut gladium acutum; et multos filios ad me convertes.

Humiliare sicut Petrus, et ex hoc homines eris capiens.

Humiliare; et in vita tua facies monstra, et in morte tua mirabilia operaberis, et in aeternum coronatus triumphabis.

CAPUT XXIII.

De humiliatione Suiipsius.

1. Scio, Domine, et confiteor, quoniam si voluero superbire et gloriari, tu stabis contra me.

Scio quoque quod, si me vilificavero, et ab omni reputatione defecero, et ad nihilum redegero, et sicut sum, pulverisavero; erit mihi propitia gratia tua, et vicina cordi meo lux tua.

Da itaque ut cognoscam nihilum meum; et nomini tuo, non mihi, dem gloriam.

Da ut intelligam miserias meas et in spiritu humilitatis clamem: Deus meus,

confundor et erubesco levare faciem meam ad te.

Da ut videam inopiam meam, et in nuditate mea suspirem, dicens: Deus meus, respice in me, quia egenus et pauper sum ego!

2. O Domine! Quid est homo, quod memor es ejus? Homo sum, miserabilis homo, natus de muliere, sicut lutum factus, sicut caseus coagulatus, brevi vivens tempore, multis repletus miseriis.

Homo sum, patrem et matrem habens putredinem, sororem habens vermes.

Homo sum, qui sicut foenum hodie est, et cras in clibanum mittitur; qui quasi flos egreditur et conteritur; vapor ad modicum parens, et deinceps exterminandus.

Homo sum circumdatus infirmitate; ignorantia et tenebris circumvolutus; ad malum proclivis; ad bonum tardus et impotens; quasi folium quod vento rapitur incostans; imperfectionibus repletus; cupiditatibus ita continuo vexatus, ut continuo bellans, et sub onere gemens, cogar exclamare: Quare, Domine, quare posuisti me contrarium tibi, et factus sum mihimetipsi gravis?

Ecce qualis homo sum, Domine: ecce

qualis haereditas mea! Quomodo ergo ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos?

3. Sed ecce, Domine, quod me nunc magis in conspectu tuo dejicit et humiliat: in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.

Hominem in innocentia condideras, et ego, antequam nascerer, innocentiam perdidi.

Tu tamen mei misertus, non abscondisti faciem tuam a me, expandisti manus tuas ad me. In te projectus sum ex utero et non renuisti esse Deus meus, de ventre matris meae. Tunc tibi factus sum placens et dilectus.

O! Si in hac recuperata per baptismum innocentia permansissem! Sed eheu! Vix cogitare potui et nefanda cogitavi: vix desiderare valui, et vetita desideravi: vix operari potui, et crimina perpetravi.

Ex hinc multiplicatae sunt iniquitates meae, super capillos capitis mei. Peccavi: quid faciam tibi, o! custos hominum? Ubi me abscondam a vultu irae tuae?

Omnis creatura tua legibus tuis fideliter obedivit. Sol luxit, astra fulserunt, terra produxit, aqua fluxit, plantae creverunt, bos possessorem suum cognovit, sicut jussisti; ego autem te non cogno-

vi; declinavi a mandatis tuis; tibi peccavi, et malum coram te feci.

4. Confusus quidem sum et erubui: prostravi me ad pedes tuos, o misericordiarum Pater! veniam a te postulans et remissionem.

Forsitan hyssopo tuo aspersus sum, et mundatus. Verumtamen non possum dicere: Scio, et certus sum; nescio enim, utrum amore an odio dignus sim. Et quomodo possem, in tali anxietate et dubio, superbire et gloriari?

O Domine! Amplius lava me ab iniquitate mea; et a peccato meo munda me.

5. Equidem in te confido, Deus meus, qui Chananaeam exaudisti, qui Publicanum convertisti, qui Peccatricem absolvisti, Petrum misericors respexisti, Latroni pepercisti.

In te speravi: et in spe mea gaudens, arbitror te mei fuisse misertum, te delevisse ut nubem iniquitates meas.

Sed etsi sic foret, quae mihi esset adhuc causa gloriandi? Nonne a te est, et a te solo venia? Non ego, sed tu me mundasti: et quantumlibet forem mundatus, nonne semper verum esset quod fuerim immundus et sordibus peccator?

Nonne semper certum esset, quod de

novo in priora, et in pejora adhuc crimina continuo ruerem praeceps, nisi me tua gratia retineret? Humiliatio mea utique est in medio mei, Domine.

Da, Domine, da ut eam magis ac magis cognoscam; et recogitans annos meos in amaritudine animae meae, et timens pro mea maxima fragilitate, maneam semper humiliatus ante te.

6. Sed ecce, Domine, ecce Satanas expetit me ut me cribret. Mihi ante oculos ponit bona quae peregi, Dona quae a te accepi.

Quare humiliaris? Quare conturbaris? Quare confunderis, inquit? Bene praees, o presbiter! duplici honore dignus es. Ad justitiam erudis multos; fulgebis, quasi stellae in perpetuas aeternitates.

Facis quae praecepit tibi Dominus; ergo amicus ejus es. Fidem servasti, opus jam fere consummasti: reposita est jam tibi corona justitiae.

Ecce, Domine, Angelus tenebrarum in angelum lucis mihi est transformatus. Anathema sit; non audiam illum.

Scio, Domine, quod si, remota pietate tua, discutiar; opus meum poena dignum erit, dum illud praemio remunerandum cogitabo.

Scio quod, ubi augentur dona, rationes etiam crescunt donorum; et quod idcirco tanto ego humilior, et ad serviendum promptior debeo esse ex munere, quanto me obligatiorem conspicio in reddende ratione.

O! utinam, Domine, non essem tot ac tantis gratiae tuae donis et abusus, et non usus! Utinam multas inspirationes tuas non neglexissem! Non gloriationis, sed humiliationis rationes, dona tua sunt.

Mihi absit igitur gloriari de me, nisi in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus tua.

Da, Domine, ut me semper despiciam, semperque amem nesciri, et pro nihilo reputari.

CAPUT XXIV.

De odio Suiipsius.

1. Amen amen dico tibi, fili, qui amat animam suam, perdet eam: et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam. Et quare, inquis, fili? Audi et intellige.

Anima haec, de qua tibi loquor, non

est Spiritus tuus; sed vita tua temporalis, sed caro tua animata. Utique, fili, si hanc diligis, perdis: si hanc odisti, salvas.

Si enim hanc amas, secundum ipsam vives: et si secundum ipsam vixeris, morieris.

Si autem eam oderis, Spiritu facta ejus mortificabis: et si Spiritu facta carnis mortificaveris, vives.

2. Forsan, fili, mysterium hoc nondum capis. Attende igitur, et audi adhuc.

Tu scis quoniam desideria carnis tuae, legi meae et mandatis meis omnino contraria sunt.

Tu scis quod natura tibi superbiam, avaritiam, libidinem, invidiam, intemperantiam, otium suadet: dum ego tibi humilitatem, justitiam, divitiarum contemptum, caritatem, castitatem, sobrietatem, laborem praescribo.

Tu scis quod caro tua commoda temporalia concupiscit: dum ego tibi poenitentiam praecipio.

Amando igitur carnem tuam, desideria ejus complebis, mala vetita perpetrabis, bona praescripta non facies; et sic carnem tuam cum anima tua perdes.

3. Sed inquies, fili: utique necesse est

ut in carnis amore sobrius sim, et ipsius desideria ultra sacras regulas efferri non patiar; necesse est ut excessum concupiscentiarum ejus reprimam. Verumtamen hoc praestare potero, quin eam odio prosequar.

Erras, fili. Nemo etenim potest duobus dominis servire: aut enim unum odio habebit, et alterum diliget; aut unum sustinebit, et alterum contemnet.

Cum igitur concupiscat spiritus adversus carnem, et caro adversus spiritum, necesse est ut hanc, vel illum diligas; ut hanc, vel illum odio habeas. Et si rationem adhuc quaeris, audi quare.

Si vis, fili, spiritui obedire, necesse est ut contra carnem insidiantem armeris, insurgas et pugnes: necesse est ut vita tua militia sit continua adversus carnem, quamdiu in terra hac manebis.

Sed si caro tibi sit amica, quomodo adversus eam armaberis, insurges et pugnabis?

Certe nemo est qui contra dilectum sibi amicum velit bellare: aut si ad id aliquis cogatur, nonnisi simulando agit; nec victoriam quaerit, nec accipit.

Si vero contra eum quem odio prosequitur, et ut infensum inimicum ha-

bet, arma sumit, ardet, urget, confodit, vincit.

Vide igitur, fili, quoniam nulla alia tibi ad carnem vincendam via est, quam odium ejus.

4. Sed inquies iterum, fili; quis est qui carnem suam sic odisse valebit? et quis poterit igitur salvus fieri?

O fili! Verum est: hoc non est opus unius diei, nec ludus parvulorum. Hoc quidem apud homines impossibile est; sed apud me omnia possibilia sunt.

Vis, fili, hoc pretiosum Carnis tuae odii donum consequi? Expande manus tuas ad me: leva manus tuas ad Deum tuum, qui in Caelis habitat: dirige orationem sicut incensum in conspectu meo.

Dic cum vehementi desiderio: Domine, scio quia voluntas tua est sanctificatio mea: libera me igitur ab effectu meo erga corpus mortis hujus.

Da mihi ut mente dissolvar ab eo, et tibi deinceps vivam. Pete, fili, pete et accipies.

5. Verum etiam ut te ad carnem contemnendam adjuves, meditare saepius ejusdem carnis miserias et pravitates.

Recogita quam abjectam habeat originem, quam infirmam substantiam, quam

brevem durationem, quam vilem exitum:
Quot necessitatibus et morbis subjaceat: quot periculis sit obnoxia; quam prona ad malum, quam tarda ad bonum.
Recordare nullum fuisse et esse in mundo facinus, cujus illa non fuerit, aut causa, aut instrumentum:
Nullum esse criminis genus, ad quod illa te non ducat, si illi obsequaris:
Et demum te in perditionem aeternam cum illa iturum, nisi ipsam domes et crucifigas. O fili! quomodo potest amari caro tot generans pestes?
6. Sume, fili, sume potius gladium Spiritus, et pugna contra hanc pessimam inimicam.
Alliga eam cruci, confige eam Christo tuo: non parcas ei, donec fuerit Crucifixo commortua.
Sic efficies ut infirmitatibus et concupiscentiis suis exuta, aliquando resurgat Christi splendidis dotibus decora.
Utique orationi et meditationi miseriarum carnis tuae necesse est ut addas ejusdem mortificationem.
Panis, disciplina et opus servo, dixit Spiritus sanctus. Sic, fili, sic mortifica membra tua, ut Spiritus salvus fiat.
Da panem. Si esurierit caro tua, ciba

illam ; si sitierit , pota , sed tanquam inimicam , necessaria praebens , placentia denegans : utinam amara et displicentia porrigens .

Da disciplinam ; os , aures , oculos , caeterosque carnis sensus arctis cohibendo fraenis : utinam et delicta castigando verberibus , aut aliis afflictationibus corrigendo .

Da opus , et continuum quidem opus : ut quando Diabolus voluerit carnem tuam al aliquod malum commovere , illam semper inveniat occupatam .

Vere , fili , si otiositatem a te amoveris , a multa malitia te immunem servabis .

Sic adversarium tuum corpus castiga , dum es in via cum illo : ne forte aliquando te judici tradat , et ille te in carcerem cum illo mittat .

Sic in servitutem carnem tuam redige : ne , cum aliis praedicaveris , et plurimos salvaveris , ipse reprobus efficiaris .

7. Demum , fili , ut haec , quae tibi dedi , pretiosa documenta executioni facilius mandes , respice saepius in me Salvatorem tuum .

Vide me vix natum in praesepio dure recumbentem , post octo dies sub Circum-

cisionis cultro patientem, brevi in Aegyptum misere fugientem.

Vide me in materna domo pauperrime nutritum, non habentem ubi caput reclinem, per quadraginta dies in deserto jejunantem.

Vide me vinculis in passsione ligatum, flagellis caesum, spinis coronatum, percussum, attritum, sub cruce oppressum, Cruci affixum, aceto et felle potatum Spiritum tandem cum clamore valido mittentem.

Vide quomodo ego carnem meam odio habui: vide quomodo membra mea mortificavi!

O fili! Nonne pudebit te sub capite adeo mortificato membrum esse ultra delicatum?

8. O fili! Si ego adeo amanter tuli peccatorum tuorum poenas in carne mea; tu saltem adimple ea, quae desunt passionum mearum in carne tua.

Si non vales temetipsum affligere: saltem patienter sustine, quando ego misericorditer castigo te.

Sustine morbos, sustine dolores, sustine incommoda, sustine bonorum temporalium jacturas.

Sustine Calumnias et opprobria, su-

stine persecutiones, sustine sancti ministerii labores.

Si non vales tota nocte in oratione vigilare; saltem quando vel servitium meum, vel salus animarum id postulat, libenter surge: saltem immoderato somno noli te tradere.

Si non potes saepe jejunare: saltem quando praeceptum est, aut quando labor refectionem tuam retardat, id amanter patere. Saltem noli delicate carnem tuam nutrire.

Si non vales sensus tuos per displicentia quaedam cruciare; saltem faetores et sordes aegrotorum et pauperum mansuete perferas.

Si tandem non vales tanto carnem tuam odio prosequi, ut eam mecum in mortem absolute consepelias; saltem tali eam odio habe, ut eam semper et legi meae, et mandatis meis, et voluntati meae, rationi, religioni et ministerio subditam absolute teneas.

CAPUT XXV.

De fiducia in Deo habenda.

1. Fili, misericordiae meae non est nu-

merus, bónitatis meae infinitus est thesaurus.

Ego sum qui eruo sperantes in me: nullus speravit in me et confusus est. Spera itaque, confide; et in aeternum non confunderis.

2. Domine firmamentum meum! Deus meus, refugium meum! O quam dulcis vox tua!

Benedictus sis, optime Pater, quoniam vis adjutor meus esse in tribulationibus quae invenerunt me nimis.

Etenim, Domine, anxiata erat in me anima mea: conturbatus erat spiritus meus.

Recogitaveram annos meos; eos multis videbam gravatos iniquitatibus, et dicebam, quid faciam, et quo ibo, quoniam Deus judex est?

Vix justus salvabitur. Quid de me fiet, qui fui supra modum peccans peccator?

Attenderam ad debita mea erga te, Deus terribilis: et videns quam modicae essent lacrymae meae, quam exigua poenitentiae meae satisfactio, dicebam: ecce appendar in statera, et inveniar minus habens.

Observaveram mundi hujus pericula, diaboli continuas tentationes, carnis perpetuas rebelliones, et dicebam: me fra-

gilem ! me debilem ! quomodo pertranſibo illaesus ? Quomodo tot retia evadam ?

Investigaveram Sacerdotii onera et munera, et exclamabam : me homuncionem ! me peccatorem ! me caecum ! me imbellem ! quomodo reddam Deo meo quae ipſi in statu hoc sanctiſſimo debeo ?

Meditatus fueram gratuitatem gratiae tuae et auxiliorum tuorum, et ejulans vociferebar : num potero exequi quae praecepit mihi Deus meus ? forsan mihi aliquando relinquar, et cadam : forsan avertes Deus faciem suam a me, et peribo in infirmitate mea.

Haec recolens in corde meo, Confiteor, Domine, nisi tu me consolatus fuisses, pene desperavissem.

3. Beatus vir qui timet Dominum. Beatus es, fili; quoniam ego ipse tibi castum timorem, qui initium sapientiae est, inspiravi. Time igitur, time; sed confide.

Time : quo amplius timebis, eo pronior ero ad currendum in adjutorium tuum.

Confide : quanto plus confideris, tanto magis specialiter a me protegeris.

Omnia, fili, mihi poſſibilia sunt. Non est qui poſſit meae resistere voluntati, ſi decrevero te salvare.

Et si tu alias faciens quod in te est, ut mihi placeas, fiducialiter expectes a me salutem; scito et crede, quia accipies illam et fiet tibi.

4. Utique, fili, quantumlibet magnae fuerint iniquitates tuae, si doles et ab iis abstines, fiducialiter spera veniam; sciens quia juravi Ego Dominus, dicens:

Si autem impius egerit paenitentiam ab omnibus peccatis suis quae operatus est, et custodierit omnia praecepta mea, et fecerit judicium et justitiam, vita vivet, et non morietur: omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.

Quantumlibet magna sint debita quae erga me per scelera tua contraxisti; si pro posse tuo solvere eniteris, etsi condigne non possis, spera fiducialiter absolutam remissionem:

Sciens, quia peccatrici lugenti absque mora dixi: remittuntur tibi peccata tua: sciens, quia latroni petenti continuo respondi: hodie mecum eris in paradiso.

O fili! recordare patris filii illius prodigi, de quo olim dicebam tibi. Nonne dilectissime, filio flenti et revertenti statim absolutam dedit veniam benignus pa-

ter? Quinimo et effusissimi amoris indubia testimonia?

Quid est, fili? Nonne ego melior adhuc Pater sum? Utique melior: imo infinite bonus.

O! tu, qui prae caecitate tua non vales misericordiae meae immensitatem capere, quomodo auderes de mea bonitate diffidere?

O! si desperares, dicerem tibi: fili ingrate! fili nequam! injuriam patri tuo facis.

Diffidis! Ergo times ne non sim, vel adeo potens, vel adeo bonus, ut tibi possim et velim dimittere?

Cessa parvi facere meam bonitatem et potentiam: confide, et remittentur tibi debita tua.

5. Quantumlibet ingentia sint pericula, quibus circumdaris; quantumlibet multiplicata sint Diaboli retia et jacula; quantumlibet urgeat te carnis tuae stimulus: si occasiones fugis, si iis quae tibi commendata sunt remediis uteris, fiducialiter expecta victoriam;

Sciens quia ego Angelis meis mandavi, ut sperantem in me in omnibus viis suis custodiant, et in manibus suis portent, ne unquam offendat ad lapidem pedem suum:

Credens, quia ego, quemadmodum promisi, confidentem in me liberabo, protegam, clamantem exaudiam, in tribulatione positum juvabo et eripiam.

Spera, confide, fili: et scapulis meis obumbraberis, scuto fortitudinis meae circumdaberis: videbis mille a latere tuo cadentes, et decem millia a dextris tuis: Daemonium autem ad te non appropinquabit.

Spera, confide: et super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem.

6. Quantumlibet formidabile sit Sacerdotii onus, et ardua ejus munera, et quantumlibet sis infirmus et debilis; noli, fili, animo concidere.

Dummodo cor tuum ad omnia paratum sit, dummodo labores sicut bonus miles Christi Jesu, fiducialiter agas, ne timeas:

Sciens, quod qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilae, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient:

Credens, quia, etiamsi ars artium sit regimen animarum, tamen Sacerdoti bonae voluntatis, pietati et studio fideliter addicto sufficit gratia mea, ut Ministe-

rium sacrum recte et absolute impleat.

7. Quantumlibet gratuita sit gratia haec, dummodo illam pie et enixe petas, noli modice fidens dubitare utrum eam in tali ac tali circumstantia eris accepturus, utrum in omni necessitate succurret tibi Deus tuus.

Memorare enim quia ego, qui praecepi tibi ut malum fugias, et bonum opereris, fidelis sum; impossibilia nunquam jubeo; sed jubendo moneo, et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvo ut possis.

Crede quia, sicut dixi, petenti tibi dabitur, et pulsanti aperietur.

Coelum et terra transibunt, fili: verbum autem hoc non praeteribit. Noli ergo timere.

8. O fili! Nonne ego pro ipsis impiis animam meam dilectam dedi? Nonne, cum adhuc peccator eras, ego pro te mortuus sum?

Nonne, cum inimicus eras, reconciliatus fuisti Patri meo per mortem meam? Numquid potui tibi caritatem meam excellentius commendare?

Quomodo igitur jam justificatus in Sanguine meo, dubitare posses utrum per

me ab ira salvus sis futurus, utrum remissionem accepturus?

Quomodo tu bonus et fidelis, formidare posses ne te in tribulatione, in periculis, in anxietatibus gementem et invocantem, audire nollem, exaudire recusarem, juvare renuerem?

Certe scis, fili, quia in tali circumstantia, te mater tua non derelinqueret. Quanto minus ego.

Vere, vere: si etiam illa tui tunc oblivisceretur, ego tamen tui non oblivíscerer.

Confide, dilectissime, qui portaris a meo utero, qui gestaris in sine meo, confide: usque ad senectam ego ipse, et usque ad canos ego te portabo? Ego feci te, et ego feram: ego portabo et salvabo.

CAPUT XXVI.

De Puritate Conscientiae

1. Domine, qui ex utero Patris aeterni ante luciferum genitus es: Domine, quem coeli coelorum capere non possunt, Domine, qui ita sanctus es ut Ecclesia miretur te non horruisse immaculatissimae Virginis uterum: Domine,

cujus Joannes solvere corrigiam calceamenti dignus non fuit:

Tu me elegisti in dispensatorem Mysteriorum tuorum, ut quotidie, propriis manibus, in altari tuo deserviam; ut quotidie ad me venias, et mansionem apud me facias; ut accipiam et manducem corpus tuum, caeterisque distribuam.

O me immundum! O me indignissimum! Quo ibo a spiritu tuo? Et quo a facie tua fugiam?

Exi a me, quia homo peccator sum, Domine. Non enim est conventio tui ad Belial: non est consensus templo tuo cum idolis: non est societas lucis tuae ad tenebras meas.

Et quomodo sat purum esset posset os meum, sat mundae manus, sat immaculatum cor, ad tam divinum servitium.

2. Fili, non debes statim dejici et turbari, ad meam dignitatem attendendo.

Ego quidem ter Sanctus sum, tu vero lutum. Sed scio figmentum tuum; scio me in te, non angelum, sed hominem habere ministrum.

Ego consummatam munditiam a te non exigo, sed munditiae assequendae maximam curam. Fac quod in te est, et di-

ligenter facito : si deinde aliquid desit, dicam verbo, et cuncta supplebo.

3. Vae tibi, fili, si quod in te est non faceres, si, habens maculam, ad ministerium meum accederes, et mihi panes offerres. Nomen meum pollueres, mensam meam despiceres, judicium tibi manducares et biberes.

Amen dico tibi, puritati conscientiae diligentissime stude. Cura ut, semper innocens manibus et mundo corde, accedas ad benedictionem et misericordiam sanctuarii mei.

Anima tua sit in manibus tuis semper; ne pravis desideriis et cogitationibus squalleat, ne dictis perversis maculetur, ne vitiosis actibus corrumpatur.

Dijudica te, ut non judiceris : et si aurum animae tuae videris aliqua sorde obscuratum; si ipsius colorem optimum videris, prae gratiae meae recessu, mutatum : fili, non occidat sol super peccatum tuum; transi cito ad fontem Siloe, ut laveris in sanguine Agni.

Vade, ostende te sacerdoti; et munus lacrymarum contritique cordis, quod nunquam despicio, humillime offer : sic, cum cecideris, non collideris; quia ego supponam manum meam.

4. Tene, Domine, tene manum dexteram meam, et in voluntate tua deduc me, ut non cadam.

Ego quidem dixi in abundantia mea, non movebor in aeternum: juravi et statui custodire judicia justitiae tuae. Verumtamen si averteris faciem tuam a me, subito fiam conturbatus, et peccabo, et totus immundus ero.

Vide, Domine, infirmitatem meam; in adjutorium meum intende. Esto semper a dextris meis, ut non fiam tanquam vas perditum, sed in innocentia semper circumdem altare tuum.

CAPUT XXVII.

De frequenti Confessione.

1. O! fili, qui fers vasa mea, qui panes meos edis, et distribuis: mundare saepius a peccatis tuis, et ab iniquitate tua amplius et amplius lavare.

Sensus et cogitatio cordis tui in malum prona sunt; et nisi saepius recurras ad fontem gratiae et misericordiae, vix poteris immaculatus esse in via mea:

Vix poteris sine macula mihi sacrificium offerre, et caetera sancti Ministerii officia complere.

Tu scis hoc, fili, tu doces hoc oves tuas: scilicet, quod frequens confessio iniquitatem magis ac magis deleat, a peccato avertat, a malo praeservet, in bono confortet, vigilantiam foveat.

In via mea retineat, contra tentationes roboret, pacem sanctam animo infundat, fervorem augeat, hominemque in dies puriorem et perfectiorem reddat.

Tu scis, tu doces hoc, scilicet, quod, qui confiteri negligit, paulatim decidat, delicta sua minus intelligat, peccato sensim assuescat.

De die in diem fiat in pugna contra animae hostes debilior, facilius in laqueos diaboli incidat, difficilius resurgat, et quo plus differt confiteri, eo plus adhuc differre velit.

2. Quod doces, fili, tu prior ipse observa. Confitere frequenter, sciens quod tibi magis adhuc necessarius sit sanctae confessionis usus: quoniam tu caeteris debes esse cautior et sanctior;

Quoniam Diabolus tibi plus inimicus est; quoniam ad sancta sancte peragenda debes esse omni hora paratus.

Et si sine probatione, sine requisita munditia accedis, brevi in somnum animae, in formidandam mentis caecitatem cades.

Propter hoc enim multi infirmi et imbecilles et dormiunt multi : qui , si frequenter semetipsos in sancta confessione dijudicassent , non utique a me judicante tali coecitati fuissent percussi .

3. Utique , fili , tu saepius vidisti tales qui olim ab initio suae vitae sacerdotalis sancti erant , et laudibus omnium celebrabantur : et qui deinde facti sunt iniqui , ne umbram quidem pristinae suae virtutis habentes .

Unde hoc , dixisti forsan , fili ? Unde ? Hinc , ex neglectu confessionis .

Inimicus Diabolus sciens fructum esse maximum in frequenti confessione , omnino nisus est illos ab hoc sancto exercitio retrahere .

Cui bono , dixit , cunctis hebdomadibus , aut saltem quindenis confiteri ? Ananiam gravatis et cruciatis : vosmetipsos inaniter torquetis .

Videte ; bene vivitis ; delicta vestra quotidiana nugae sunt . Expectate , donec quid grave contigerit : tunc ibitis , et sufficiet .

Sic illos primo decepit : et quid factum est ? jam in sua sanctitate nimis confisi sunt ; jam gratiis ex sancta absolutione provenientibus destituti sunt ; facile igitur ceciderunt .

Equidem post primum casum, sine mora dolentes surrexerunt, ad Ananiam festinarunt, et sanati sunt.

Post moram autem iterum tentati sunt, iterum ceciderunt. Quid fecit tunc Satan? Nauseam confessionis movit.

Expectate, inquit, tempus habetis; equidem sine praevia confessione celebrare vobis non licet; at non est obligatio cras celebrandi.

Distulerunt igitur. Interea impedimenta supervenerunt; tandem necessario celebrandum fuit.

Jam populus fuit congregatus, et prae temporis angustia non potuerunt ultra se sacerdoti ostendere.

Humiliaverunt quidem se, contriti sunt admodum, sed imperfecte; imperfecta vero contritio sine confessione iniquitatem delere non potuit.

Mansit igitur iniquitas. Celebraverunt tamen: sacrilega proinde fuit communio, et per hanc in malo confortati sunt.

Missa autem peracta, de Anania adeundo non amplius cogitaverunt.

Ante alteram celebrationem, quosdam adhuc angores conscientiae experti sunt: ante tertiam, nihil amplius senserunt.

Postea tandem sibi in malo compla-

cuerunt, nec timuerunt ultra vitam infimam cum ministerio summo sociare.

Forsan deinde, post longum temporis spatium, antiqua regula ad confessionem revocavit. Quid fecerunt?

Ananiam primum reliquerunt: falsum prophetam quaesierunt, qui pacem dixit, dum pax non erat; qui cervicalia sub capite posuit, et sic miseros istos sacerdotes in delictis suis sine emendatione vivere passus est.

Ecce quomodo ceciderunt; ecce quomodo collisi sunt, qui confessionem neglexerunt.

4. Vide, fili, ne idem tibi contingat. Cum igitur adest tempus, quod tibi piae vitae regula ad confitendum praescribit, non tardes, nec differas de die in diem.

Neque dicas: mundus sum, nec indigeo. Quicumque enim dicit: peccatum non habeo; ipse se seducit, et veritas in eo non est.

Quisquis deinde sis, non es sanctis meis sanctior, nec perfectissimis viris perfectior.

Perlege, fili, eorum vitas: et videbis eos frequentissime sancta usos fuisse confessione.

Justorum enim proprium et semper

pavere; et quo plus amore digni sunt, eo plus, ne odium mereantur, timere.

Si justus vix se credit salvandum; quis tu, ut securum te sine frequenti confessione credas?

5. Sane, fili, si bonus pastor es, curas ut oves tuae hanc salutarem confessionis praxim non negligant: et, si pigritentur, stimulas, reprehendis, minaris,

Sed si tu ipse negligas, quis attendet? quis observabit? quis reprehendet? Nemo sane.

Si oves tuae in aliquos defectus labantur; tu clamas, tu corripis: sed si tu ipse, quis reformabit, nisi Ananias tuus?

Si te illi sacerdoti non ostenderis; nullus te admonebit, te reprehendet. Boni enim amici raro id facere audent: mali autem nolunt.

Vide qualia pericula tibi immineant, si negligas confiteri.

CAPUT XXVIII.

De Peccato Veniali.

1. Fili, ne spernas modica, paulatim decideres. Graviora crimina times; sed forsitan minuta vitia non reformidas.

Erras, fili, modicus ignis modicus quidem est; sed contemptus, sylvas etiam incendit. Levis infirmitas, levis quidem est; sed neglecta, paulatim crescit, et necem affert.

Numquid aedificia subito corrunt? Non, fili, fit primo stillicidium: negligitur, aqua intrat, coementa dissolvuntur, lapides ab invicem distrahuntur, successive muri corruunt: sic domus tandem destruitur.

Vide quam periculosum sit modica spernere. Si pars parietis, quae primo ceciderat, neglecta non fuisset; sed statim restaurata; domus adhuc staret. Sed quia levia detrimenta contempta sunt; jam non est.

Unde sapiens quidam dixit: mirabile quidem, et inauditum dicere audeo: solet mihi nonnunquam videri, non tanto studio magna esse vitanda peccata, quam parva et vilia.

Illa enim ut aversemur, natura ipsa peccati efficit: haec autem, quia parva sunt, desides sumus; et dum contemnuntur, non potest ad expulsionem eorum animus generosus resurgere.

2. Vide, fili, qui venialia negligis; vide aquam per rimulas in navim tuam paulatim ingredientem. Facile est ab initio eam subrepentem impedire, et evacuare: sed si negligis, brevi sentinam implebit.

Quid interest ad naufragium, utrum uno grandi fluctu navis obruatur; an paulatim intrans impleat tandem, et submergat.

Ergo leviora delicta fuge: saepius ad examen recurre; ut explores an quaedam commiseris: saepius confessionem frequenta, ut illa abstergas, ne multiplicata ad mortale disponant.

Sed, inquis, venialia sunt; mei Dei inimicum non constituunt: non teneor illa vitare sub periculo mortis aeternae.

Utique, fili: nec ego teneor tibi multas gratias utilissimas, et auxilia efficacia praestare; te specialiter custodire et protegere.

Si igitur amicitiae meae ita negligens sis, ut tantummodo odium meum refor-

mides, time ne subtraham a te gratias sublimiores, auxilia efficacia.

Sic in lubrica hujus saeculi vita facile cades: sic inter pessimos hostes agens, protectionis meae singulari clypeo orbatus, facile vulneraberis. Numquid confidere potes, me tui fore sollicitum; quando tu de me ita parum curabis.

3. O Domine! quoties dixi: pax, pax, et non fuit! forsan et adhuc dico, et non est. Quot venialia peccata, ex deliberata scientia et plena voluntate commisi et adhuc committo!

Ergone dicere possum, quia amo te? Numquid te ardenter amat, qui te sic frequenter contristat, aut saltem contristare non timet?

Da, Domine, ut te amem ardentius: quatenus ab omni specie mala me abstineam diligentius.

CAPUT XXIX.

De Poenitentia peccati venialis.

1. Fili, qui vult sanus fieri, doleat. Multi peccata venialia confitentur, et pauci mundantur: quia deest illis verae con-

tritionis dolor, et verae emendationis propositum.

Ex arida consuetudine accedunt: vellent quidem se corrigere, sed vere non volunt; nullos enim conatus adhibent, ut illa ex corde extirpent.

Si cupis veraciter mundari, veram displicentiam habe. Sume, non stateram hominum, quae mendax est, sed stateram sanctuarii mei; in ipsaque, delicta haec appende.

Videbis. etsi levia sint, quanta sint: videbis ea mihi displicere, me offendere, meam amicitiam minuere, Spiritum meum contristare, caritatis ardorem deprimere, devotionis alacritatem et facilitatem tollere, gressus in via salutis retardare, et torpentes reddere, recipiendae gratiae obices ponere.

O! si haec ad cor tuum transirent, quam amare levia peccata defleres! O! si vidisses sanctos meos, quales lacrymas pro similibus defectibus effunderunt; profecto non posses a fletu et dolore abstinere.

2. Firmum statue propositum, non ex velleitate, sed ex sincerissima voluntate. Attende potissimum ad ea delicta quae tibi familiariora sunt, quaeque quasi

aquam bibis, et dic: non faciam amplius. Si venerit hostis, viriliter agam; pugnabo, et vincam. Sic mundaberis, et mundatus emendaberis.

His enim duobus scutis, horroris scilicet peccati, et firmi propositi munitus, vigilabis. Quacumque horat veniet hostis, resistes ipsi; et non sines, saltem scienter et ex plena voluntate, perfodi domum tuam.

3. Verumtamen, fili, ne speres te ab omni prorsus delicto posse praeservari. Magna est enim fragilitas tua; semper prona est ad vitia.

Hodie confiteberis peccata tua, et cras iterum forsan perpetrabis commissa. Nunc propones vitare, et post horam fortassis ages, quasi nihil proposuisses.

Cave, fili, ne propter hanc fragilitatem, confessionem et poenitentiam venialium negligas.

Num ideo lintea lavare negligis, quia usu novo sordidanda sunt? Non certe.

Sic et tu, cum fragile corpus geras, quantumlibet mundatus sis, brevi sine peccato non eris. Sed patientiam habe; noli turbari: tranquille et humiliter de infirmitate ad sanationem, de peccato etiam levi ad poenitentiam transi.

Frequenter ad confessionem recurre. Si recte confitearis peccata tua, fidelis sum et justus, ut remittam ea tibi; non dico, usque septies, sed usque septuagies septies. Misericordiae enim meae non est numerus; bonitatis meae infinitus est thesaurus.

CAPUT XXX.

De frequenti Sacrificii Oblatione.

1. Ecce ego tecum sum, fili, omnibus diebus, Patri immolandus, in gloriam; et pro hominibus offerendus ad salutem.

Tu es sacerdos meus, sacrificator meus, ad illam immolationem et oblationem principaliter electus. Ergo cura te ita immunem a peccato servare, ut quotidie aptus sis Missae celebrandae.

Patrem meum debes honorificare, gloriam ipsius promovere. Quid vero honorificentius, quid gloriosius ipsi potes offerre quam altaris mei sanctissimum munus? Est enim donum transcendens omnem plenitudinem.

Argentum, aurum, gemmae, terra, coelum, mundus totus, arena est exigua, in conspectu hujus divinae oblationis.

Hostias veteres jam non vult Pater; non vitulos, non agnos; sed corpus aptavit mihi, hoc placet ipsi, hoc amat, hoc diligit: libenter respicit in faciem Christi sui.

Offer, fili, offer quotidie filium Patri, Deum Deo, Lumen Lumini. O! quanto gaudio, qua gloria Patrem meum afficis, quando offers; quo gaudio, qua gloria privas, si celebrare negligis!

2. Sicut es homo Dei; sic etiam es hominum mediator, ut offeras sacrificia pro peccatis eorum. Ecce habes in manibus holocaustum omnium sanctissimum et efficacissimum.

Nullum est debitum, quod per illum non possit solvi; nulla gratia, quae non possit obtineri; nulla infirmitas, quae non possit sanari.

O! qualibus auxiliis oves tibi commissas, imo et totum gregem patris orbatum esse permittis, quando celebrare omittis?

Celebra, fili, celebra frequenter, et descendent super oves dona pretiosissima, conversiones, emendationes, remissiones, confortationes, et omnium virtutum carismata optima. Si diligis oves, tanta bona illis praestare ne negligas.

Imitare servum meum Job: et sicut ille quotidie, pro peccatis filiorum, hostias immolavit; tu quotidie, pro populo meo tibi commisso, celebra in propitiationem et impetrationem.

3. Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur. Si orationibus juvantur, quanto magis Missa quae omnes orationes et sacrificia infinite superat. Si eleemosina extinguit ignem quo purgantur; quanto magis sanguis meus.

Vide, fili, quam facile sit tibi ipsorum supplicia temperare, quin et ipsos a tormentis liberare, ad coelum desideratum evehere, Angelos, per eorum ingressum, laetificare, coetum Sanctorum ampliare, laudantium Deum numerum adaugere.

Vide ergo, quam duro animo esses, si, non celebrando, defunctos talibus auxiliis privares.

Miserere illorum, fili: multum patiuntur; juva illos per quotidianas oblationes. Certe illi non erunt ingrati, nec obliviscentur tui, cum venerint in regnum meum, et viderint bona in terra viventium.

4. Sed et tu, fili, quantis gratiis in-

diges, ut salutem tuam opereris! Quibus auxiliis, ut ministerium tuum rite et fructuose impleas!

Ergo quotidie ad altaris mei mensam accede: ibi invenies coeleste antidotum, quo a peccatis praeservaberis, quo passiones tuae mitigabuntur.

Ibi accipies collyrium efficacissimum, quo mentis tuae oculi elucidabuntur; pharmacum forte, quo virtutes in te corroborabuntur; quo contra diabolum firmatus, tanquam leo rugiens, eris ipsi terribilis.

Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Ne nauseet anima tua super isto sanctissimo cibo. Festinans descende: desiderio enim desideravi hoc Pascha manducare tecum.

Excipe me gaudens in domo tua, ut ipsi salus fiat. Hoc fac quotidie in meam commemorationem.

5. Intuere, fili, Sanctorum meorum exempla, in quibus vera refulsit religio, dilectio et pietas.

Ambrosius, Carolus, Salesius, Xaverius, Vincentius, et tot alii, quam assidui fuerunt in quotidiana oblatione!

Et quot, per ista sacrificia quotidiana, pereuntium obtinuerunt conversio-

nem, labentium praeservationem, lapsorum resurrectionem, stantium et justorum perseverantiam!

Et quot sibi ipsis gratias et auxilia sic quotidie lucrati sunt, quibus adjuti, iverunt de virtute in virtutem, usque ad montem sanctum meum!

6. Verum, fili, illorum usum sequendo, sequere etiam illorum pietatem. Quotidie celebra; sed sancte celebra.

Zelus domus Patris mei comedit me: Altare meum, Altare Dei virtutum est. Cave ergo ne despicias illud: cave ne, ex lucri aviditate, potius quam ex vera pietate, ad mensam meam accedas.

Ego, ego ibi sum et video: cave, ne imparatus accedas; ne celeriter, ne cursim, ne perfunctorie ministres. Maledictus qui ministrat negligenter mihi ultionum Deo.

Lava ergo inter innocentes manus tuas: esto liber ab omni inquinamento carnis et spiritus! et confusus prae indignitate, famelicus prae desiderio, ardens prae amore, fide et fiducia plenus, circumda altare meum. Accipe, et manduca; accipe, et bibe: in te manebo, et tu in me.

CAPUT XXXI.

De indigna Celebratione.

1. Veni ad me, fili, et reficiam te. Verum accedens ad me, praepara animam tuam.

Ego sum terribilis Dominus, et magnus vehementer; cui odio est impius, et impietas ejus; qui indigne accedentem judico et condemno, firmans super eum, per carnem et sanguinem meum, maledictionem irae meae omnipotentis.

Proba te igitur, fili, antequam de pane meo edas, et de calice haurias; ne tibi judicium manduces et bibas.

Proba te; interroga cor tuum; agnosce semitas tuas: et si via iniquitatis in te est, sacrum transire limen inquinatus ne audeas: sed confundere coram me, super indignitate tua, et quantumvis tibi contritus videaris, absque praemissa confessione ad altare non accedas.

2. Fili, ego sum Rex tuus mansuetus, qui te tot beneficiis cumulavi: et tu me osculo proderes! Ego sum Deus tuus; et tu me Satanae, cor tuum possidenti, traderes.

Ego sum Salvator tuus: et tu me rur-

sum tibi crucifigeres ! Ego sum sanctissimus : et tu me, in immundo sordidae conscientiae tumulo reponeres !

O amice ! Ad quid venires ? Melius esset tibi si natus non fuisses !

3. Absit, Domine, a me tanta iniquitas ! Adhaereat potius lingua mea faucibus meis ; oblivioni potius detur dextera mea ; tolle potius animam meam a me, quam tantum scelus a me perpetrari permittas.

Expedit sane magis, me vilissimam creaturam mori, quam te Creatorem meum sic a me contemptibiliter conculcari.

O Domine, qui optimus es ! O Deus deorum ! Domine dominantium ! Quis est, qui sic tradet te ?

4. O fili ! quis est ? Utinam unus tantum ! Utinam duo ! sed eheu ! quot me, non una vice, sed quotidie, sic tradunt et crucifigunt !

Quotidie ad altare meum accedunt superbi, voluptatum amatores, luxuriosi, avari, aliorum criminum rei.

Isti me, fili, impuris manibus contrectant, immundo ore capiunt, foetido corde suscipiunt, sanguinem testamenti mei pollutum ducunt : coinquinor in medio eorum.

Possem quidem, fili, me de manibus eorum liberare; fulgura, sagittasque meas emittere; dissipare, et interficere eos: verum perirent, et nolo mortem impii. O! si converterentur, et viverent recte!...

O generatio pessima! Quousque proximus ero vobis! Quousque errabitis corde! Quousque non parcetis mihi! Quod facitis, facite citius.

Verumtamen vertetur misericordia mea in judicium contra vos. Juravi in ira mea: non introibitis in requiem meam.

CAPUT XXXII.

De Praeparatione ad Missam.

1. Fili, para mihi coenaculum, quia apud te facio pascha, et in domo tua oportet me manere.

Locus honorificus Regi expectato, locus optimus amico venienti praeparatur.

Ego, fili, sum Rex tuus mansuetus: ego dilectus tuus, qui pascor inter lilia, ego Deus tuus, quem coeli coelorum possidere indigni sunt.

Quantum igitur me prae amore tui, humilio, ad nihileitatem tuam descen-

dendo; tantum excita te in affectu accendendo.

Munditia habitaculi cordis tui tibi non sufficiat; sed aurum caritatis, thus sanctae pietatis, per devotissimam recollectionem, in mente tua congrega.

In hoc cognoscitur affectus suscipientis dilectum; cum dilecto suo optimum et pulcherrimum praeparat locum.

2. O! vos, qui, cum frigidi non sitis, calidi tamen non estis: O! indifferentes et tepidi, qui de visitatione mea vix curatis; qui e domo et domesticis negotiis, sine mora decenti, ad sacricium continuo transitis; quid dicam vobis?

Ecce mensae vestrae de mane ordinantur pro convivis vestris; escae per dies disponuntur: et mihi ad vos venienti, nequidem per brevissimum quadrantem coenaculum vestrum paratis.

Qui tamen ad convivia vestra conveniunt, forsan nec amant vos, nec honorant: ego autem vos diligo in veritate.

Illi veniunt ad vos ut de vestris epulentur; ego autem venio ad vos, ut de me epulemini.

Illi venientes consumunt substantiam vestram: ego autem venio, ut augeam

vos, et superaddam divitiis vestris. Vos tamen honoratis eos, et me inhonoratis.

O filii hominum! Usquequo gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem et parvifacitis meam bonitatem? Nauseat anima vestra super me, quasi super cibo levissimo.

O insensati! Quis vos fascinavit? O tepidi, quos tolerare vix possum! Modo incipiam vos evomere ex ore meo.

3. Surge, fili, surge velociter: ne tepescas cum illis, sed festinans veni obviam mihi.

Veni: et considerans magnitudinem meam, et vilitatem tuam, te cum centurione indignum clama.

Veni: et cum Zachaeo flagrans amore, excipe me gaudens in domo tua; confidens quod tibi, per visitationem meam, salus fiet.

Veni: et cum justo Abel, oblationem tuam optima intentione dispone.

Sic holocaustum tuum pingue fiet. Gloriam Patri, honorem Sanctis, Gaudium Coelo, utilitatem Ecclesiae, tibi salutem, gratiam justis, conversionem peccatoribus, auxilia indigentibus, requiem defunctis dabit.

CAPUT XXXIII.

De Gratiarum Actione post Missam.

1. Ego Verbum aeternum, caro factum, habitavi in te, fili; ego panis vivus, qui de coelo descendi: ego lux vera; ego plenus gratiae et veritatis, plenus potentiae et fortitudinis; ego cujus misericordiae non est numerus; ego tecum sum, et merces mea mecum est.

Ego tecum sum, ut salvem te, ut liberem te de manu pessimorum, ut redimam te de manu fortium.

O! si scires donum Dei, et quis est, qui in corde tuo quiescit; certe cor tuum fieret tanquam cera liquescens in conspectu meo; certe omnes animae tuae facultatem in extasim absorberentur; certe oculi tui in lacrymas amoris et gratitudinis effluerent.

Non dubium quin, prae satietate, nihil amplius de hoc mundo desiderans, omnibus valefaceres.

Non dubium quin, sine voce, et quasi sine sensu supra te raptus, in dilectione mea sileres.

Non dubium quin toto corde amplectereris dilectum tuum, et prae gaudio

te totum illi, sine ulla restrictione offerres.

Certe a tam benigno Patre, omnia virtutum charismata fiducialiter expeteres.

Certe a Rege adeo potente, omnia gratiarum auxilia contra inimicos tuos postulares.

Certe Jesum in te manentem, et tuum factum, tanquam excellentissimum munus, Patri coelesti, cum summa devotione praesentares.

Non dubium quin omnia sanctorum Spirituum agmina vocares, ut gloriam in excelsis dilecto tuo tecum dicerent.

Non dubium quin, pr: sanctarum specierum consummatione, tibi fieret dolor vehemens, hac tandem sacra esca privari.

2. Non est, fili, alia natio tam grandis quae habeat deos appropinquantes sibi, sicut ego sacerdotibus meis appropinquo.

Quomodo ergo fit, ut plures ex illis, praedilectionem meam quasi spernentes, aut saltem, non sicut decet aestimantes, ne per brevis quidem morae spatium velint me in corde suo praesentem, sacris honorare laudibus?

Vix ab altari meo discesserunt, cum

e templo statim exeunt, ad saecularia pergunt. Adhuc escae eorum sunt in ore ipsorum, et jam obliviscuntur Dei optimi qui pavit eos. O ingrati! O filii lucis, minus prudentes filiis tenebrarum!

Filii hujus saeculi, cum a rege aut potente visitantur, detinent eum, ne subito discedat ab eis; salutant, gratulantur, offerunt, rogant, petunt, gaudentes se posse ore ad os cum principe loqui, dilectionem ostendere, venerationem exhibere, necessitates aperire: et illi quidem, ut mortalem principem honorent, et corruptibilem mercedem accipiant.

O filii lucis, stulti et tardi corde ad credendum! Viri Ninivitae surgent in novissimo die contra vos: quia, Jona inter eos ambulante et praedicante, compuncti sunt; et ecce plus quam Jonas hic.

Regina Austri surget, et condemnabit vos: quia venit a finibus terrae audire sapientiam Salomonis; et ecce plus quam Salomon hic.

Viri Jerusalem surgent contra vos: quia me cum eis conversantem voluerunt facere regem; et ecce ego Rex regum, Deus vester: intra vos sum, et discedi-

tis et me sine honore relinquitis solum.

3. Fili, numquid et tu velles abire? Absit, fili, absit.

Cum reliqueris altare, redi ad me, ut audias me qui verba vitae aeternae habeo; ut gustes et videas, quoniam suavis sum; ut cor tuum fiat in te ardens, dum loquar tibi.

Me Dominum Deum tuum, cum tota tua devotione, adora in te praesentem: cum angelis et archangelis hymnos gloriae meae canta; et non discedas a me, donec per benedictiones tuas, benedictionem meam merueris obtinere.

CAPUT XXXIV.

De Oratione Mentali.

1. Hoc est opus tuum, fili, orationi et ministerio verbi instans esse. Ego pernoctavi in oratione, ut tu discères orare, et sine intermissione orare.

Homines qui aere vivunt, suspirant continuo in aerem, ut aeris spiritum attrahant. Tu sacerdos, qui de coelis vivere debes, ad coelum indesinenter suspira, ut coelestem Spiritum attrahas.

O fili! Quam necessarium est ut ego

dirigam omnes gressus et actus tuos, in ministerio quod exercendum suscepisti! Quam grande est! Quam sanctum! Quam periculosum!

Tene ergo oculos mentis tuae semper elevatos ad Patrem qui habitat in coelis; ad me qui ad dexteram ejus sedeo: ut inde continuum tibi veniat auxilium; ut mutes fortitudinem; ut assumas pennas sicut aquilae; ut curras, et non labores; ut ambules, et non deficias; ut perficiantur gressus tui in semitis meis, et non moveantur vestigia tua.

2. Sic per orationem attraxit sibi maximum sanctitatis spiritum Jacobus quem in Apostolum elegeram. Genua enim ejus, prae orationis frequentia, instar cameli occaluerant.

Sic Martinus qui, nec in vita, nec in morte, invictum ab oratione spiritum relaxavit.

Sic Carolus qui in summis negotiis, etiam tres aut quatuor horas, imo dies integros, quin et, ubi liberior erat, noctes ipsas orationi impendebat.

O fili! potes quod iste et isti. O si animum haberes! o si gustares! videres quam suavis sit Dominus orantibus.

Invenitur utique a quaerentibus, ape-

rit pulsantibus, annuit petentibus. Gusta et vide.

3. Fili, surgat tecum oratio; nocte in lectulo vigilet: dicat tecum Psalmos in Officio: praecedat et sequatur te in Ecclesia; sedeat tecum dum manducas et bibis; gratias agat, cibo sobrie sumpto.

Transeat tecum in labore diurno; adsit in cubiculo; mundet te vespere a sordibus quas contraxisti in mundi luto; somno cedenti tibi claudat oculos; habitet semper tecum.

3. Vides, fili; non hic tibi commendo eam tantum orationis speciem quae ore et animo simul juxta canonicam regulam perficitur; verum insuper illam quae secreto in corde fit.

Ibi, ibi, clauso ostio, debes orare Patrem tuum. Ibi potes, fili, omni tempore et loco, mentem tuam ad me elevare, te et tua, et omnia mihi offerre, a me petere, me amplecti prae amore, te coram me humiliare, me adorare.

Haec apud te sit oratio Deo vitae tuae; haec in omni opere et functione sit tua socia et comes indivisa.

5. Haec est, fili, haec est aqua quae fit fons saliens in vitam aeternam.

Si vis illam habere, veni, ostendam

tibi fontem hortorum, puteum aquarum viventium, unde hauritur.

Fons ille et puteus, meditatio mandatorum meorum est: huic debes quotidie aliquod tempus destinare.

Cura ergo quotidie aliquam salutaris doctrinae veritatem specialiter eligere, ob oculos ponere, attente coram me considerare, ad te referre, et ex hac consideratione normam agendi tibi proponere.

Ibi invenies aquam: et si biberis illam, totum corpus tuum mire et suaviter rigabitur; id est; omnia opera tua sanctificabuntur: quia dabit fructum in tempore suo.

6. O fili! orationem mentalem igitur ne negligas: brevi esses sal infatuatum, lucerna sine ardore et sine lumine.

Idcirco enim desolatione desolata est terra, quia non est qui recogitet corde.

CAPUT XXXV.

De variis Orationis mentalis speciebus.

1. Unusquisque proprium donum habet ex Deo; alius quidem sic, alius vero sic.

Non omnes, fili, idem possunt in oratione mentali. Sunt aliqui quibus datum est ad altissimae contemplationis verticem pertingere; sed hoc nemini praescriptum est: iis reservatur quos Pater meus ita traxerit.

Tu vero, fili, si te non sentias specialiter vocatum et tractum, noli hoc altum sapere, sta in vita simplicium, et te indignum judica ad sublimiora efferri.

Si pauca tantum in meditatione potes haec pauca fac exacte, et multum proficies.

2. Ne dixeris; fili: non possum, nescio orare, Si non vales cum Joanne sublimia et divina contemplari, saltem potes cum Magdalena ad pedes meos procidere, et corde contritio, spiritu humiliato, petere tuorum veniam peccatorum quibus me toties offendisti.

Si nequis cum Paulo ad tertium coelum volare, saltem vales cum eo manere apud me crucifixum, carnem cum vitiis et concupiscentis crucifigendo.

Si non habes alas aquilae volantis ad sidera; saltem potes habere pennas simplicis columbae nidificantis in maceria; saltem vales meditari passionis meae vulnera et opprobria.

Confide, fili: plus sanctitatis invenies in passione mea meditata, quam omnes sapientes et philosophi, in altitudine coeli contemplata.

3. Si non potes nisi distractas orationes et meditationes peragere, perage tamen et offer mihi.

Esto homo bonae voluntatis: praeparationem cordis tui audiet auris mea. Acceptabilia mihi erunt etiam minuta illa quae in gazophilacium meum, secundum posse tuum, mittes.

Scis, fili, quomodo benedixerim viduae quae duo minuta tantummodo miserat: nonobstante ergo qualibet involuntaria distractione animum tum in diversa rapiente, perge quod semel coepisti; in praesentia mea persevera, et tempus orationi destinatum me interrumpas.

Mihi placent exercitia tua, quando tu ita mihi tuis expensis servis.

4. Ne itaque animo concidas; sed cum humilitate prostratus, agnosce te majori esse consolatione indignum.

Dic cum fiducia et simplicitate: Domine, in quantum mea culpa intervenit quod his forte distractionibus occasionem dederim, summopere doleo:

In quantum vero procedit a tua vo-

luntate, agnosco justam et peccatis meis debitam poenam, castigantem culpas meas, et praeteritas ac praesentes negligentias.

Unde lubenti animo accipio de manu tua hanc crucem, hanc ariditatem, hanc distractionem, hoc exilium miseri cordis mei.

5. En etiam, fili, modus mediocritati tuae obvius et congruus. Tolle librum, lege, hoc nixus quasi baculo animus tuus facilius stabit, et discedens citius revocabitur.

Scilicet piae huic lectioni intende: singulis sententiis legendo inhaere: brevi intellectus tuus illuminabitur, affectus movebitur, volvendo et revolvendo quae legeris, non animo sciendi, aut studio doctrinae, sed aemulatione virtutis et amore.

Sic lege, sic gusta, sic comede; et enutrieris.

Quod autem comederis, per diem rumina: recole judicia, renova proposita, ut efficaciora sint; et cor tuum per sacras aspirationes magis ac magis accende.

CAPUT XXXVI.

De Tempore Orationis mentalis.

1. Fili, in matutinis meditare in me, et ego ero adjutor tuus.

O sacerdos! ligna mane subjice per singulos dies; ut ignis in altari meo enutriatur et semper ardeat.

Oratio mane facta tenebras pellit, et animam divino lumini aperit; primitias cogitationum et actionum diei consecrat mihi supremo Domino, cui primum et ante omnia, et super omnia, omnis creatura servire debet.

O fili! si ego sum thesaurus tuus, in me sit primo diluculo cor tuum.

2. Audi, fili, audi ipsos gentiles. Dicebant: adveniente aurora, cum diis est versandum, a Jove principium. Ergone tu filius lucis eris minus sapiens filiis tenebrarum?

Vide solem: summo mane oritur, et enarrat gloriam meam. Nonne ergo inverecundum esset ut te otiosum in strato inveniret, et ipse sic in servitio meo te diligentia sua praecederet?

O fili! Praeveni solem ad benedictionem tuam. Ante ipsius ortum debuit

manna a populo meo colligi: orto enim sole liquefiebat. Sic tardior oratio vix habet substantiam et efficaciam.

Hora igitur surgendi praecurre, et age conceptiones tuas.

3. Mane pennae columbae liberiores sunt: melius volabis ad me.

Oculus matutinus serenior est: quod oculus per mundanorum conspectum jam obscuratus non apprehendit, ipse videt.

Auris matutina subtilior est: quod auris terreno tumultu jam gravata non capit, ipsa audit.

Cor matutinum purius est, flexibilius est: quod cor lutoso jam mundi pulvere respersum non gustat, ipsum sentit.

Ergo cor tuum trade, ad vigilandum diluculo ad me, qui feci te, et in conspectu magnitudinis meae mane deprecare: et ego spiritu intelligentiae replebo te; emittam eloquia sapientiae meae: in oratione confiteberis mihi; et ego dirigam consilium tuum.

4. Ut autem mane ad me promptior sis, Fili, praepara de nocte animam tuam. Quod mane meditaturus es, ante somnum praelege; tibi evigilanti primo recurret; et facilius mihi cor tuum trades, primogenitaque mentis offeres.

Exurge diligentius, et quemadmodum cervus prae siti ad fontes aquarum desiderat; ita ad me adorandum desiderabit anima tua. Tum spiritu fervens, procides coram me; et dicam tibi: ecce adsum.

Demum in praesentia mea constitutus, videbis, afflues, mirabitur et dilatabitur cor tuum.

Modo confusus erubesces, prae mea sanctitate et tua iniquitate: modo humiliaberis, prae mea pulchritudine et tua deformitate.

Modo annihilaberis, prae mea magnitudine et tua miseria: prae mea bonitate et tua ingratitudine: modo viriliter ages, prae tua fiducia in me.

Modo gladium alacriter sumes, contra hostes animae tuae: modo silebis in dilectione mea; et exultabis super me in laude.

Ecce, fili, quomodo adsum iis qui in matutinis meditantur in me. Accede ergo mane diluculo ad me, et illuminaberis.

CAPUT XXXVII.

De consuetis actionibus bene peragendis.

1. Ego, fili, bene omnia feci: et si tu

velis sanctimoniam, sine qua me nemo videbit, sectari, hoc potissimum curare debes, ut nempe omnia opera tua accurate et recte perficias.

Vide, fili: tota vita tua nihil aliud est, quam recurrentium quavis die actionum catena.

Si igitur actiones illa debita cum perfectione a te exerceantur; procul dubio tota etiam vita tua sancta erit atque perfecta.

O fili! quantum in te aemulationis fervorem deberet illa cogitatio accendere: Tot et tot actiones in die, tot in mense, tot in anno peragere, debeo: Si eas rite perficiam, totidem virtutum actus eliciam, totidem gradus gloriae merebor.

Si male, si negligenter; et tempus, et operam, et innumeros gloriae gradus perdam et irreparabiliter quidem perdam.

Venies, o mors! et cum veneris, quantum exultabo, si omnia bene fecerim! quantum ingemiscam, si male!

2. Respice, fili, homines, aut cautissime parcos, aut lucri ardenter avidos: attende quomodo isti curent, ut nihil deperdatur, nihil pereat; sed omnia vel levissima, vel etiam vilissima utiliter impendantur.

Vide quomodo alii diligenter tempus impendant, ne ulla ejus particula sine lucro inaniter consumatur.

Imitare eos, fili; et disce a saeculi prudentibus veram filiorum Dei sapientiam.

Disce omne levissimum, vel etiam vilissimum vitae tuae opus ita peragere, ut non pereat.

Attende, fili. Non dicit homo parcus: hoc leve est, contemnendum est. Sed è contra: quantumlibet leve et contemnendum hoc videatur, tali modo impendatur, et utile erit.

Sic fac, et tu; nec dixeris: opus istud nihil est: quomodo fiat, parum curo.

Dic è contra: hoc quidem parvi momenti videtur: verumtamen diligenter plantetur in agro nostro vile hoc sinapis granum, et crescet, et fiet arbor magna: et ego aliquando de fructibus ejus comedam.

Attende adhuc, fili. Non dicit homo lucri avidus: minuta temporis pauca nihil sunt: quiescamus paululum, exultemus ad momentum.

Sed è contra ait: ex minutis hora coalescit. Euge, euge, manus: labora celeriter, et post horam lucrum aderit.

Sic et tu, fili, satagere debes, ut quodcumque vel minutissimum vitae tuae momentum tibi per actionem bene peractam, fiat proficuum.

3. Quid fiet in judicio, fili? hoc sane scis. Tunc reddam unicuique secundum opera ejus.

Cura igitur ut omnia opera tua bona sint et recta: sic te certissime facies à correptione et vindicta mea immunem, ac de laude et remuneratione mea securissimum.

Necesse est, dilectissime, ut actiones tuas consuetas quotidie exequaris: sive bene, sive male eas peragas, peragis tamen.

Utique oras, studes, officium persolvis, conciones praeparas, Missam celebras, sacramenta ministras.

Si autem omnia haec male aut negligenter facis, nihil lucraris: imo damnationem incurris; et tamen poenam nihilominus habes.

Noli, fili, sic perdere quod operaris: cura ut labor tuus non sit inanis.

Modo recto et bono omnia opera tua perfice: laborem majorem non habebis; imo actionum laborem necessarium facilius tolerabis, et per hunc tamen coronam lucraberis.

Si ergo te in actibus tuis ignavum et negligentem esse deprehenderis; excita te et dic: insanis anima mea! grave jugum portas, et nihil proficis: quinimo perdis.

Euge, euge: age ferventer, age recte; et levius feres, et fructuose laborabis.

4. At inquies, fili; quomodo fiet istud? Quomodo omnia haec bene faciam?

Audi, fili; en docebo manus tuas ad hoc praelium.

Ante omnia ab omni specie mala te abstinere debes.

Nihil ergo facias nisi quod bonum, aut saltem licitum esse scias.

Ut autem bonum hoc, vel licitum bene peragas, haec tibi observanda sunt.

Habe, fili, in omni opere intentionem puram; et omnia ad majorem Dei tui gloriam ordina.

Excute teporem, et cum fervore et alacritate rem perfice, quasi hoc unum faciendum haberes.

Cum inceperis, constanter perge: et si res duret, passim te excita et stimula.

Tandem ordinem serva, ut tempore praescripto, nec ante nec post, quantum fieri potest, res peragatur.

Sic, fili, faciendo, non ligna, foe-

num, stipulam flammis devovenda; sed aurum argentum, lapides pretiosos super coelorum altare sedente in throno offerenda, per actiones tuas tibi congregabis.

CAPUT XXXVIII.

De Visitatione Sanctissimi Sacramenti.

1. Fili, Ego Deus tuus et omnia tua. Ego, qui habeo sedem in Coelis, apud te in templo meo maneo in terris: ut, quando volueris, invenias in me vitam, et haurias salutem a Domino tuo. O fili! non feci taliter omni nationi.

Si in remotioribus infidelium plagis degeres, et tibi nuntiaretur esse aliquem populum apud quem Deus verus sic dignatur habitare, ita ut quacumque hora unusquisque possit libere ad eum accedere, ore ad os cum illo conversari, sane clamares: o beatus populus cujus talis Dominus Deus ejus!

In excessum mentis diceres: vadam et ego ad populum istum, et videbo visionem hanc magnam.

Quam dilecta tabernacula Dei hujus! concupiscit et deficit anima mea in atria ejus: surgam et ibo ad illum.

Egredere, anima meà, de terra tua, de cognatione tua; veni, et videamus hoc verbum quod factum est: veni, et offeramus ei munera aurum, thus et myrrham.

2. Fili, ecce sto ad ostium tuum. Non montes tibi transvolandi, non mare transmeandum, non terra tua relinquenda, non cognatio tua deserenda, ut tantae felicitatis efficiaris particeps.

Non obstant fores: semper et quacumque hora parata sunt omnia: oculi mei attenti, aures meae erectae, cor meum apertum.

Veni, per me licet, veni: cupio te videre, nam deliciae meae esse tecum.

Veni: expectans expecto te, ut intendam tibi, ut exaudiam preces tuas. Veni ad Dominum tuum, et redde ei vota tua.

Veni ad fontem aquae salientis in vitam aeternam: et dabitur tibi absque ulla commutatione vinum et lac.

Veni ad eum qui panes in deserto multiplicat; et sicut adipe et pinguedine replebitur anima tua.

Veni, et implebo te bonis; et mensuram gratiarum bonam et superfluentem et confertam et coagitatam effundam in sinum tuum.

3. O fili ! si homo tantum esses, diceremtibi : veni, et adora. Nam scriptum est : Dominum Deum adorabis, et illi soli servies.

Sed Sacerdos es, homo Templi, homo Sanctuarii, homo Altaris, homo Dei : tuum est inter Vestibulum et Altare plorare.

Tuum est in ira mea stare contra me, et placare : tuum est pro delictis omnium exorare.

Tuum est coelo vim facere, ut roret desuper, et nubes pluant super populum pretiosa donorum meorum charismata : tuum est Deum laudare, Domino benedicere.

O fili ! o sacerdos ! o minister summi Regis ! num relinques illum solum ?

O amice tui salvatoris ! num habebit pro te amaritudinem conversatio illius, aut taedium convictus ejus ?

O discipule ! num optimum Magistrum tuum fugies ?

4. O domine ! o Deum, si fas est dicere, sui prodigum ! o me miserum, si, tot congestis carbonibus, ad te frigescerem, et accedere renuerem !

O ! quis audivit unquam simile ? Me qui non sum dignus, ut intrem sub tectum tuum, in aulam tuam venire permit-

tis ; quin et hortaris , quin et compellis !

Faciam , Domine , voluntatem tuam . Ibo , visitabo locum ubi positus es , Rex meus , et Deus meus !

O Domine ! quomodo possem a tali pietate me abstinere , quando recordor omnes ad te cucurrisse , dum visibilter cum hominibus conversaberis ;

Quando cogito omnes venisse ex omni castello Gallieae , Judeae , et Jerusalem ;

Quando lego , turbas apud te tantas fuisse , ut debuerint tegulas tecti tollere , et paralyticum per illud coram te submittere .

Utique , Domine , quolibet vespere veniam cum Maria Magdalene videre sepulchrum , in quo vivens tu ipse Homo-Deus cum divina Tua et humana natura , humiliter et amanter quiescis .

Adorabo ibi pronus in terram : confitebor adversum me iniquitatem meam , laudabo nomen tuum cum cantico , magnificabo te in laude : petam , et accipiam ; pulsabo , et aperietur mihi .

In loco pascuae hujus reges me , Deus meus ; et nihil mihi deerit .

Ibi discam semitas justitiae tuae : ibi edocebor non timere mala : ibi sub virga tua et baculo tuo consolabor .

Ibi fortis efficiar contra omnes qui tribulant me: ibi misericordia tua circumdabit me, ut subsequatur me omnibus diebus vitae meae, donec inhabitem in domo tua coelesti, in longitudinem dierum.

CAPUT XXXIX.

De examine vespertino.

1. Diiudica te, fili, ut non judiceris. Vespere discute mores. Semper debes esse paratus: quia, qua hora non putas, ego filius hominis veniam.

Forsan hac nocte animam tuam repetam a te: vide num parata sit ratio villicationis tuae.

Si cras vixeris, debes altari meo adstare: vide num sis mundus totus.

Sume ergo in manibus animam tuam. Considera diligenter, quomodo se habeat; quid cogitatione, quid desiderio, quid actu operata sit; quid contra me, quid contra proximum, quid contra teipsum.

Nonne de mundano pulvere sorduit? Excute pulverem illum, per dolorem, per novum propositum.

Heu! si etiam, quod absit, per ali-

quod peccatum mortale, in profundum descendisset.

O fili! tunc luge; detestare; confessionem promptiorem, et emendationem promitte; ut sol non occidat super delictum tuum, et ego non ulciscar in mediis tenebris.

O quot subita morte praeveniuntur! Quot sani cubile ingressi sunt, et eadem nocte ad inferos descenderunt; quia in peccato mortali sine contritione obdormierant.

O! si non reformidares sic quiescere in statu in quo mori non auderes! Quis scit an somnus, quem in hoc mortifero statu caperes, non esset etiam tibi aeternae mortis initium?

2. Ego proficiebam sapientia, aetate et gratia apud Patrem et homines.

Tu quoque, fili, debes de die in diem proficere: si non proficis, deficis; et quomodo proficies, si defectus tuos non observaveris, non consideraveris, non emendaveris.

Redi igitur vespere ad cor tuum, et accurate discute teipsum.

Considera unde venis, quo tendis, quomodo vivis, quid agis, quid admittis; quantum quotidie proficis, vel deficis,

quibus cogitationibus magis incursaris, quibus affectibus tangeris, quibus tentationibus a maligno acrius impugnaris.

Hoc sancti mei, dum in terra vivebant, crebro faciebant: et idcirco tantum in virtute proficiebant.

Requirentes et observantes quotidie defectus suos, ipsos de die in diem corrigebant, et minuebant.

Quo frequentius, prae fragilitate, cadebant; eo alacrius resurgebant: eo virilius se ad pugnam parabant; eo instantius meum petebant auxilium.

Sic jam justi, justificabantur adhuc; et jam sancti, plus sanctificabantur: sicque leves eorum lapsus potius erant ipsis incitamenta virtutis, quam impedimenta perfectionis.

Fac similiter, fili: dum silent omnia, et a negotiorum tumultu vacuus est animus, scope spiritum tuum.

3. Domine, delicta mea a te non sunt abscondita: posuisti in nervo pedem meum; observasti omnes semitas meas et vestigia pedum meorum considerasti.

Emitte lucem tuam, et veritatem tuam; cognoscam me; sicut cognitus sum a te: et cognoscens me, quotidie reprehendam me, corrigam me.

Usquedum immaculatus in via, quantum fragilitas mea patitur, fiam perfectus, sicut Pater meus coelestis perfectus est.

CAPUT XL.

De Studio et lectione.

1. Attende lectioni et doctrinae, fili. Sicut avis ad volatum: sicut homo ad laborem natus est: sic tu sacerdos, ad scientiam et pietatem.

Ergone te securum crederes, si canonicis horis persolutis, oratione mentali peracta, missa celebrata, reliquum tempus otio, vagationi, rebus inanibus impenderes?

Non sic, fili, non sic: labia tua custodient scientiam; et si tu scientiam repuleris, repellam te.

Tempus dedi tibi, non ut perdas, sed ut illud in judicio mihi cum usuris restituas. Amen dico tibi: non exibis inde, donec reddas novissimum quadrantem.

2. Audi ergo, fili, et inclina aurem tuam: et obliviscere populum tuum et domum patris tui.

Excipe doctrinam, quasi is qui arat et seminat; accede ad eam, et congrega tibi bonos fructus illius.

Legem requirent ex ore tuo : ergo legem meam, et omnem scripturam utilem ad docendum pervolve; sermones meos comede.

Debes eos qui veritati contradicunt arguere : ergo disce catholicas veritates et vindicias.

Debes ministerio verbi instare, exhortationi intendere : ergo Majores interroga; scrutare narrationes praesbyterorum sapientium, ac in proverbiis eorum conversare.

Debes peccata solvere, aut ligare; mentales aegritudines curare : ergo sapientiam inquire a sapientibus, et disciplinam ab intelligentibus, quibus profunda et abscondita revelavì.

Stude; ut ex me, et non ex te annunties ovibus meis.

Stude; ut, cum venerit lupus, et oves voluerit dispergere et rapere, tu non sis canis mutus, non valens latrare.

Stude; ut, coeco ducatum praebens, non sis ipse coecus; et sic cum illo in foveam cadas.

Stude, ut Sacrificii caeremonias, Sacramentorumque ritus apprime calleas.

Stude : quid tibi cum fabulis? Ministerium altari Christi, non hominibus deferendum accepisti.

Vide ergo ut illa tempora quibus ab ecclesia vacas, lectioni impendas.

3. Scientia, per pias lectiones et sacra studia acquisita, infinitus thesaurus est, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei.

Vide Paulum, vide Ambrosium, vide Thomam, Bedam, et tot alios: quomodo studio et lectioni indefessi incubuerint.

O Sacerdos! Si sine libris, sine studio et lectione manes; es utique sicut miles sine armis, sicut equus sine fraenis, navis sine remis, scriptor sine calamo, avis sine pennis, coecus sine ductore.

4. Quaere etiam pro teipso, fili, scientiam sanctorum, scientiam salutis: quaere perfectionem statui tuo adeo necessariam: hac in pia et quotidiana lectione invenies.

Ibi pascetur animus tuus; ibi de die in diem novis stimulis excitabitur ad omne opus bonum.

Ne multa cursim legas, sed pauca collecto animo.

Cum legeris, lectionis medullam in corde tuo absconde; ut rursus revocata, ruminetur; ruminata, foeda tua corrigat, pulchra tua plus ornet.

5. Vis, fili, vis multum proficere? Vis ad virtutem accendi? Vis ad pietatem

potenter stimulari? Patrum tuorum, sanctorum Pontificum et Sacerdotum vitas pervolve.

Illorum intuens exempla, et exitum conversationis, imitaberis fidem. O quantum valent exempla! plus utique quam praecepta.

Miraberis, et dices; homines erant, sicut ego; fragiles, sicut ego: ad malum proni, sicut ego: ecce tamen quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est. Nonne potero quod isti et illi?

Veni, anima mea, et ambulemus cum eis in semitis Domini; ut ascendamus cum illis ad domum Dei Jacob.

Sic vita Sanctorum considerata Ignatium gratiae reddidit, Columbanum sanctitati sociavit, innumeros convertit, et ad coelos perduxit.

6. Lege, fili; lectio te ignarum docebit, te otiosum arguet, te torpentem excitabit, te dormientem exstimulabit:

Te errantem corriget, te corruentem eriget, te vane ridentem terrebit, te lugentem consolabitur, te humilem laudabit, te superbientem vituperabit.

Te debilem confortabit, te praesumentem reprimet, te turbatum mitigabit, te

tristem laetificabit, te perversum damnabit, te pium justificabit.

7. Inclina cor meum, Deus, in testimonia tua, et non in avaritiam; averte oculos meos, ne videant vanitatem.

Fac ut vehementer diligens eloquium tuum, tota mente scruter illud, quatenus fiat lucerna pedibus meis, et lumen semitis meis. Amen.

CAPUT XLI.

De lectione sacrae Scripturae.

1. Vis, fili, discere sapientiam et disciplinam? Vis suscipere eruditiouem doctrinae, justitiam, judicium et aequitatem? Vis astutiam et intellectum acquirere?

Vis sapiens, sapientior fieri? Vis jam intelligens, gubernacula possidere, et super senes intelligere?

Inclina cor tuum, ad cognoscendam Scripturam: super thesauros effode illam: quasi pecuniam quaere illam.

Brevi afflues, et videbis meliorem esse Scripturae scientiam negotiatione argenti et auri primi; pretiosiorem illam esse cunctis opibus, et omnia quae desiderantur huic non posse comparari.

O fili! ausculta ergo sermones ejus, et eloquia illius inclina aurem tuam: ne recedant ab oculis tuis.

Dic Scripturae sacrae; soror mea es. Illam voca amicam tuam.

2. Ego Pater tuus, et tu filius meus. O fili! si tu bonus es filius, si ego tibi sum Pater dilectus, certe debes consortium meum quaerere, confabulationem meam ambire.

Veni ergo in solitudinem Scripturarum: ibi loquor, fili; ibi cum hominibus conversor;

Non eo terribili modo quo in monte Sina Judaeis mandata mea tradebam; sed ea mansuetissima ratione, qua parvulos per filium meum complectebar.

Tu igitur, quasi unus ex parvulis istis, propera ad me: si non faciem meam visurus, saltem monita mea auditurus.

Ego Dominus tuus, et tu servus meus, in Scripturis meis exaravi praecepta quae dedi tibi.

Et imperavi tibi ut meditareris in eis, sedens in domo tua, ambulans in itinere, dormiens atque consurgens.

Serva mandatum, fili: lege quae scripta sunt; quoniam ad doctrinam tuam scripta sunt.

4. Ego Rex universae terrae ; tu minister meus, ad hoc praecise constitutus ut verba, quae ego in Scripturis dedi tibi, nota facias hominibus ; ut mandata quae tradidi, ipsos servare doceas ; ut eos juxta leges meas judices.

Igitur portio tua est, fili, scire Scripturam meam. Ipsa bonum est oris tui ; ipsa aurum et argentum status tui.

5. Lege eam, fili, et non peccabis ; et ab omni via mala prohibebis pedes tuos ; quia haec memorari te novissima tua faciet.

Lege eam, et curres viam mandatorum meorum : quia illa erit lucerna pedibus tuis, et lumen semitis tuis.

Lege eam, et anima tua erit in manibus tuis semper : quia legem meam non oblivisceris.

Lege eam, et bene tibi erit : quia testimonia mea exultatio cordis sunt.

Lege eam, et inclinabit te ad implendum cum omni pietate ministerium tuum, propter retributionem aeternam quam tibi promittet.

Lege eam, et in concionibus erunt eloquia tua dulcia super mel : vox tua, quasi vox mea, in virtute, in magnificentia confringet cedros vitiorum ; concutiet deser-

ta, et commovebit animas iniquorum.

Animas vero fideles praeparabit magis, et ad majorem ducet perfectionem.

Lege Scripturam, et in judiciis tuis a judiciis meis non declinabis: quia legem meam sub oculis positam semper habebis.

6. Si vero Scripturae sacrae studio non incumbas, fili; quam miserabilis, et pauper et caecus manebis!

Miserabilis quidem; quia, cum per sacrum ministerium debeas bellum habere adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiae in coelestibus, armaturam Dei non habebis ad resistendum;

Neque succinctos lumbos in veritate mea; neque loricam justitiae; neque calceatos pedes; neque scutum fidei, ad tela nequissimi extinguenda; neque galeam salutis; neque gladium spiritus.

Pauper autem eris: quia, cum deberes caeteris panem frangere, nequidem pro teipso necessarium panem habebis.

Coecus tandem remanebis; quia Scriptura mea lux est hominum; et sine hac omnis sacerdos in tenebris manet.

Et cum praedicat, aërem verberat, narrat fabulationes; loquitur ex se, non ex me:

Et cum judicat in tribunali, sine ju-

dicio, sine aequitate judicat: coecus coeco ducatum praestat, et cum eo in foveam cadit.

7. Scio, Domine, quod, nisi lex tua meditatio mea sit, peribo in humilitate mea.

Scio quod sine ipsius assidua lectione, neque pius, neque sapiens, neque sufficienter eruditus esse possim.

Igitur scrutabor mirabilia testimonia tua: scrutabor ea quotidie, scrutabor assidue.

Quotidie accedam ad hanc mentis meae refectionem, ut in ea sermones tuos comedam.

Ibi veritatem quaeram, non eloquentiam: utilitatem, non subtilitatem.

Legam religiose, legam humiliter, legam simpliciter, legam fideliter.

Da, Domine, da mihi intellectum, ut capiam verbum tuum; faciem tuam illumina super me, et doce me tu ipse justificationes tuas.

Scio enim quod liber tuus pulcherrime dicit: sed, te tacente, nec mentem illuminat, nec cor accendit.

CAPUT XLII.

De Officio Divino.

1. Benedic, ſacerdos Domini, Domino; benedic, ſerve Domini, Domino. Ora ſpiritu, ora et mente: pſalle ſpiritu, pſalle et mente.

Vide ne, dum labiis me honoras, cor tuum longe ſit a me: vide ne, longas orationes orans, propter hoc majus accipias judicium.

Sanctus, Sanctus, Sanctus ſum, ego Dominus Deus Sabaoth: pleni ſunt Coeli et terra gloria mea.

Hoſanna in excelſis, mihi clamant Angeli: Hoſanna in terris, tu mihi dices, fili. O quam magnum, quam ſanctum, quam divinum officium tuum!

Redde quod debes; nulla unquam debiti hujus particula te praetereat: redde quomodo debes; ſuo tempore, rite, attente ac devote debitum ſacrum perſolve: cave, ne curſim, ne perfunctorie.

2. Spiritus promptus eſt, fili, caro autem infirma. Igitur ante orationem praepara animam tuam, et noli eſſe quaſi homo qui tentat Deum.

Imaginationi tuae per varia vagari aſ-

suetae, fraenum, per aliquam considerationem, injice.

Cor tuum a terrenis ad coelestia, ab exterioribus ad interiora, ad meipsum erige.

Aspice citharaedos, antequam citharizent, instrumenti chordas praevia dispositione componunt: alias nil nisi confusum et obstrepentem sonum daturas.

Sic mentem tuam compone. Dic cogitationibus inanibus et alienis: manete hic, donec oravero; cum opus Dei implevero, si indigeam vobis, iterum vos assumam.

Dic affectibus tuis: venite exultemus Domino; venite jubilemus Deo salutari nostro; venite adoremus.

3. Intuere me praesentem; et sub oculis meis, ima cordis penetrantibus, ministerium tuum imple; sicut servus, sub oculis domini sui; sicut ancilla, sub oculis dominae suae.

Recordare, quia Dominus austerus sum, maledicens illi qui facit opus meum negligenter.

Respice qua reverentia ministri cum Regibus suis tractent.

Et ego, fili, sum Rex regum, Dominus dominantium: et tu, cum officium divinum persolvis, mecum, tanquam Mi-

nister meus et hominum mediator, de gravissimis omnium negotiis agis; de remissione peccatorum, de justificatione animarum, de gratia, de salute, de gloria aeterna.

Et tu auderes, in tanta et tam sancta operatione, animum tuum ad alia divertere; causam adeo grandem, celerioribus verbis, summis labiis, hac et hac oculos conjiciens, tractare: dum laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates.

Time, fili, justitiam meam, expavesce vultum meum. Princeps impune non contemnitur, multo minus Deus.

4. Scio quidem, quod, sicut folium quod vento rapitur, sic animus hominis levi flatu ab attentione facile dimovetur, et distractus aberrat, nisi caute revocetur.

Idcirco, fili, vigilare debes in oratione, et passim te excitare.

Attende igitur, quantum potes, ad sensum verborum; ut affectum moveas ad saporem et gustum.

Gloriam Trinitati, in fine Psalmorum, toto animi sensu pronuntia: sic revocabitur animus, sic renovabitur, accenditurque magis.

Memorare te opus Angelorum pera-

gere : crede te cum illis ante thronum meum stare ; et cum illis adora , lauda , benedic , ama .

Finge te in horto olivarum mecum orare ; et si ad soporem animus tuus trahatur , audi me : non potuisti , fili , una hora vigilare mecum : vigila , et ora .

5. Domine , ne possum quidem dicere Dominus Jesus , nisi in Spiritu sancto : quomodo possem orare sine gratia tua ?

Doce me igitur orare ; labia mea tu ipse aperi , et os meum annuntiabit laudem tuam .

Emitte Spiritum tuum , Spiritum orationis et precum ; ut non fiam in conspectu tuo sicut aes sonans , et cymbalum tinniens .

Domine , vis et jubes ut laudet te anima mea , et psallam tibi , quamdiu fuero . Da mihi quod jubes , et jube quod vis .

CAPUT XLIII.

De Officiis publicis .

1. Pave ad Sanctuarium meum , fili ; videat te populus meus paventem , et paveat ipse .

Sanctuarium meum est , fili ; non tuum .

Tu quidem in eo praesides visibilter; sed ego realiter.

Tu ibi es Sacerdos, et pastor super populum: sed nihilominus sub oculis meis pulvis et lutum.

Tu jus habes ut intres et accedas; sed tamen indignus es tanto munere, et forsan ovibus tuis indignior.

Locus iste terribilis est, fili: domus Dei est, et porta coeli. Time ergo, quando ingrederis, et tremore concutiantur ossa tua.

2. Vide qualem caritatem dedi tibi, ut sacerdos meus nomineris, et sis.

Grandis et praecelsa dignitas tua, fili: verumtamen ipsa te non sanctificabit; sed tu debes illam sanctificare.

Honorifica igitur ministerium tuum: custodi praecepta et coeremonias, quas ego mandavi tibi, ut facias. Iota unum, aut unus apex non praetereat, donec omnia fiant.

Dum celebras, dum divina officia peragis, dum sacramenta ministras; videat et miretur populus reverentiam et decentiam tuam in cultu meo; et sic ad pietatem excitetur.

Nil in situ, in motu, in incessu, in voce appareat, nisi modestia, gravitate,

humilitate, dignitate et religione plenum.

Ex abundantia sanctissimae mentis, omnia in exteriori corporis habitu dirigantur.

O si haberes Joannis Baptistae sanctitatem! O si populus videret faciem tuam, tanquam faciem Angeli, sicut olim in Stephano visa est! Qualiter mysteria mea veneraretur et coleret!

3. Vos autem, nefandi sacerdotes, qui despicitis mensam meam et sanctuarium meum, qui per audaciam frontis, levitatem oculorum, arrogantiam gressuum, incuriam rituum, celeritatem sacrificiorum, plebem meam scandalizatis, quousque tandem inhonorabitis me?

Quousque fidem et pietatem populi mei conculcabitis? Quousque clamabunt oves meae, in indignatione sua: ubi est Deus eorum?

Ergone credibile est quod ipse super altare eorum descendat? ergone credibile est quod illos qui templum suum violaverint, disperdat?

Depone scelestos illos, protector meus Domine. Veniant super illos maledictiones quae super Nadab et Abiu ceciderunt.

Egrediatur ignis de tabernaculo tuo, et devoret eos; et moriantur coram te.

Fidem auferunt viventes : fidem adstruant morientes .

CAPUT XLIV.

De cura Ecclesiarum et Altarium .

1\. Zelus domus Patris mei comedit me ; quia diligo eum : si tu me diligis , fili , dilige decorem domus meae .

Aspice , quomodo homines seipsos amantes curent de domibus suis , de mensa , de cubiculis , de lectis , de vestibus .

Aspice , qualis in domibus nitor et ornatus ; qualis in mensis munditia et apparatus ; qualis in cubiculis , in lectis , in vestibus sumptuositas .

Aspice , quomodo matres filiis suis provideant , ut in omnibus mundi sint , et rutilantes .

Et tu , fili , patereris ut dilecti tui domus , quasi spelunca latronum , immunda , ruinosa , neglecta remaneret ?

Et tu ferres ut altare meum , thalamus sponsi animae tuae , thronus Regis tui , ara in qua quotidie Agnus innocens pro te immolatur , sordida essent , et pannosa ?

Et tu tolerares vasa sanctuarii esse squalida , pulvere et aerugine obscurata ?

Erubescant et confundantur, qui talia per incuriam suam permittunt.

O generatio incredula! Quamdiu apud vos ero? Quamdiu vos patiar?

2. Ego sum Deus, et non est alius praeter me. In caritate mea ad homines descendi, ut conversarer et conviverem cum ipsis; ut illis mederer, auxiliarer, et omnia dona mea liberalissime dispensarem: ipsi autem spreverunt me; factus sum apud ipsos quasi mendicus et pauper.

Judica, fili, inter me et inter ipsos. Quid est quod debui facere ipsis, et non feci? Quid est quod debeam facere, et non faciam? Isti vero mei obliviscuntur, me non agnoscunt, me contemnunt.

Isti homines, unanimes; duces mei, noti mei, qui simul mecum dulces capiunt cibos! quinimo, obstupescite, Coeli, super hoc, et portae ejus, desolamini vehementer, quandoque factus sum apud ipsos vermis, et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis.

Panes meos non curaverunt sacerdotes mei, et corrupti sunt; vermibus scatuerunt, nauseam moverunt, et ego recessi coactus.

Vide, fili, si est opprobrium sicut opprobrium meum: talia passus sum in domo eorum quos diligebam.

3. O fili ! Meliora de te confido : fidelior eris, reverentior et gratior erga me. Perlustrabis domum meam ; sordes ejus absterges, ruinas ejus restaurari curabis ; ornatui ejus, pro posse tuo, providebis. Altaria mea considerabis ; linteis munditiam, velis et vestimentis integritatem et honestatem, sacrae suppellectili nitorem restitui providebis.

Vasa Sanctuarii mei attente conspiciens, expurgabis, decenter obteges, atque accurate recondes. Panes meos frequenter renovabis, et cum decore attentius servabis.

Confido, fili, zelo domus meae ardebis : et si templo meo non possis gloriam et divitias conferre, saltem munditiam et nitorem praestabis.

CAPUT XLV.

De zelo animarum.

1. Ego Dominus zelator sum animarum. Ipsas ad imaginem et similitudinem meam creavi : de coelo descendi, ut illas quaererem, et salvas facerem quae perierant.

Ipsas docui, illuminavi, sanctificavi : illas sanguine meo emi, desponsavi; ablui ;

omnia ad earum salutem ordinavi: vehementissime cupio ut tandem de manu mea regnum decoris, et diadema speciei accipiant. Ecce quomodo amo eas.

Igitur, fili, da mihi animas; caetera tolle tibi. Adjutor meus es: cooperare mecum totis viribus illarum saluti: trahe eas ad me.

Si hoc feceris, cor meum gaudio inebriabis; Angelos meos laetificabis; duplici honore dignus eris; teipsum salvum facies, et fulgebis quasi stella in perpetuas aeternitates.

2. Si animae salventur, torrente voluptatis meae potabuntur in aeternum: si pereant, pars illorum erit in perpetuum, in stagno ardenti igne et sulphure; ubi erit fletus et stridor dentium.

O fili! si scires quantum opus sit mihi in salute animarum cooperari! Omnium est divinorum divinissimum.

Ego feci coelum et terram: et qui salvat animas, terram mutat in coelum.

Ego in coelo accendi luminaria magna; qui vero eos qui in errore sunt illuminat, lumina clariora accendit.

Ego hominem feci: qui vero illum salvat, justum eum reddit, mihique gratum.

Vide, fili, quantum te diligam! Tibi

animas salvandi potestatem conferendo, tibi majora faciendi potestatem tribuo.

3. Numquid ergo tanta potestate praeditus, tanto ministerio insignis, te adhuc implicares negotiis saecularibus, terrenis vanitatibus?

Abjice, fili, omnem aliam sollicitudinem: unum sit tibi negotium; mihi in lucro animarum famulari.

Servus meus es: quidquid habes, mihi habes: quidquid potes, mihi potes.

Perge in nomine meo; doce, evangeliza, converte, quaere, suscipe, sana, perfice, salva animas; ad hoc missus es; hoc fac; impende et super impende te pro animabus.

4. Amas me, fili? Ostende mihi dilectionem tuam ex operibus.

Qui miseretur pauperis, mei miseretur; qui dat pauperi, mihi dat; qui uni ex minimis meis benefacit, mihi benefacit.

Quantum ergo mihi munus praestabis, si animabus a me redemptis salutem procures!

Animarum salus utique multo plus est quam esca pauperi data.

5. Aspice qualem tibi meritorum thesaurum thesaurizabis in coelo, si saluti animarum incumbas.

Qui dat calicem aquae frigidae in nomine meo, non perdet mercedem suam: qualis igitur erit merces tua, si mihi das animas!

Qui scandalizat fratrem, ipsius delicti fit reus: et tu, si salvaveris homines, fies eorum conversionis, sanctitatis, et omnium bonorum operum particeps.

6. Praedica ergo verbum: insta opportune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina; ut animas salves: et super omnia bona mea te constituam.

O! si vel unam animam salvare posses; nonne deberes te pro ipsa tradere, sicut ego meipsum tradidi pro te? Quanto magis, cum plures salvare possis, debes ad eas salvandas vehementi zelo accendi.

O fili! num patieris perire in scientia tua fratrem pro quo mortuus sum?

Ecce Diabolus non dormit: sed sicut leo rugiens, semper circuit ut furetur, mactet, perdat, devoret: et tu interea dormires, manus consereres, sileres!

Amen, amen dico tibi: si de ovium mearum salute non sis sollicitus, sanguis earum clamabit ad me de terra, et sanguinem earum de manu tua requiram.

CAPUT XLVI.

De residentia Pastoris.

1. Ego meos non reliqui orphanos: sed volui cum eis esse usque ad consummationem saeculi.

Tu quoque, fili, in medio populi ad quem ingressus es, constanter mane: sciens quia, si multum peregrinari volueris, tibi et gregi multum nocebis.

2. Quid tibi videtur, fili, si habuerit aliquis centum oves, et eas servo suo regendas commiserit: illeque servus abeat, per regiones vicinas ambulet, cum amicis laetetur: et interea oves sibi ipsis sine duce relinquat?

Utique dicis: servus ille, servus nequam est: et cum venerit Dominus ejus, dividet eum, et partem ejus ponet cum infidelibus.

Quomodo igitur tibi parcerem, fili, si oves sanguine meo redemptas, quas tibi commisi, derelinqueres, ut inanibus itineribus vacares?

Fili, fili, mane et vigila; quia adversarius Diabolus, tanquam leo rugiens, circuit, quaerens quem devoret.

Mane et vigila, ut ei resistas et oves tuae non fiant in devorationem.

3. Quid tibi videtur adhuc, fili, si habuerit aliquis negotiationem, eamque famulo suo commiserit, dicens: negotiare, donec venio; expecta emptores, et vende:

Et si ille famulus assiduitatis domesticae impatiens, modo ad hos, modo ad illos amicos divertat; intereaque emptores veniant, vacui recedant, alibi emant, et sic sopiatur negotiatio, cessetque Mercatoris lucrum?

Certe dices; infidelis est ille famulus; dignus est sane ut a Domino suo vapuletur et ejiciatur.

At, fili, simile est regnum Coelorum homini negotiatori. Ego negotiationis animarum Dominus te super hanc negotiationem praefeci, ut omni petenti quolibet tempore mysteria mea dispensares.

Si vero tu assiduae commorationis impatiens, huc illuc effugias, facile fiet ut modo iste petat pro filio suo recens nato et jam moriente aquam baptismi vivam; modo alius pro patre infirmo remedia salutis efflagitet; modo alter gratia speciali motus, dolore peccatorum tactus intrinsecus, poenitentiae vinum et oleum postulet.

Tu autem aberis; et sic cessabit mihi lucrum: lucrum quidem animae illius,

quae in originali culpa prae baptismi defectu migrabit ;

Lucrum infirmi illius, qui cum peccatis non remissis, ad aliam vitam transibit :

Lucrum peccatoris illius poenitentia moti, qui, cum te in gratiae momento non invenerit, brevi obliviscens timoris sancti, ad te ultra non redibit ; iterumque menses et annos forsan in peccatis et impoenitentia transiget. O lucrum cessans ? O damnum emergens !

4. Quid tibi videtur tandem, fili, si quis Dominus hominem quemdam constituerit, ut vigilet, ne fur veniat et domum suam perfodiat ;

Ille vero custodiam relinquat, secedat ; intereaque fur veniat, perfodiat, spoliet ?

Sane dicis : homo ille furti et spoliationis reus est.

Fili, iterum mutato nomine de pastore non residente sententiam dixisti.

Dum abest ille, via ad domum gregis mei lata patet : venit malus, et per scandala intrat, et aufert verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant.

O fortis armate ! Custodi constanter atrium tuum. Te praesente, in pace erunt omnia quae possides : te vero absente,

fortis inimicus superveniet, qui universa arma in quibus confidis auferet, spoliaque tua distribuet.

5. Fili, quid doces patres? Quid matres? hoc certe, ut filios suos tenellos, nusquam sibi ipsis permittant; verum semper custodiant, inspiciant, observent:

Ne temeri in ignem decidant, vel in abyssum ruant; ne imbelles a feris trucidentur; ne incauti quid mali faciant.

O fili! te tam pater, tam mater nemo debet esse. Tene ergo filios tuos sub custodia tua quemadmodum gallina pullos sub alas.

Noli esse sicut mercenarius fugiens, ad quem non pertinet de illis.

Cura ut vix nisi necessitate coactus discedas: et tunc quidem provide, ut bonus et fidus amicus vices tuas rite suppleat.

CAPUT XLVII.

De vigilantia Pastorali.

1. Fili, ego sum Pastor bonus, et cognosco oves meas. Si vis me sequi, diligenter agnosce vultum pecoris tui. Ita vigila ut, quid de die, quid de nocte fiat, tu custos illius non ignores.

Si non vigilaveris, eris in conspectu meo quasi mercenarius fugiens ad quem non pertinet de ovibus: et lupus veniet, rapiet et disperget oves.

Et, cum dispersae fuerint, tu ignorabis, et non vades ad illas, donec invenias eas: et sic fient in devorationem omnium bestiarum agri.

Tandemque sanguis earum clamabit ad me de terra dicens: vae pastori nostro qui pavit semetipsum, nos autem non pavit: fera pessima devoravit nos, et non respexit.

Vindica, Domine sanguinem nostrum: fiant dies pastoris nostri pauci: et episcopatum ejus accipiat alter: rationem reddat pro animabus nostris.

Deleatur de terra nomen ejus: peccatum ejus non deleatur, pro eo quod non est recordatus vigilare super nos.

2. Tu ergo vigila, fili. Sed quomodo vigilare debes? Exemplnm habe de optima matre, de fideli gregum pastore.

Ista novit numerum filiorum suorum, ille pecorum.

Illa in medio filiorum suorum, laborat et quiescit ut oculos super illos possit semper apertos tenere, vel ad levissimum signum super illos conjicere.

Ille intrantes in ovile oves numerat, accurate recludit, de mane visitat, egredientes sequitur.

Illa motus, verba, gesta, necessitates, sanitatem, infirmitatem, labores, pietatem, malitiam, dolos, modestiam, petulantiam, cuncta tandem filiorum sollicite observat: ut in omnibus provideat, foveat, emendet, corrigat, roboret, perficiat.

Ille pecora, quae pascantur, quae non comedant; quae sana, quae aegrota; quae pinguia, quae macilenta; quae stabilia, quae ad fugam prona diligenter attendit: ut in omnibus valeat quae congruunt praestare,

3. Sane, Fili, plus diligere debes oves meas, quam mater filios, quam pastor pecora.

Eas enim propter me diligere debes et eo magis diligere, quo ego tibi eas non commisi, nisi quia de tua summa dilectione confidi.

Utique, fili, si non credidissem me amari a te, non dixissem tibi: pasce oves meas.

Ergo saltem sicut illa mater, sicut ille pastor, vigila. In medio populi tui constanter mane, vix unquam, nisi in necessitate, discedens.

Ita nosce ovium tuarum numerum, ut eas etiam possis nominatim vocare.

Ita erectos oculos, auresque super eas habe, ut quidquid contigerit statim possis observare, et indolem cujusque sic agnoscere.

Ita sedulo visita gregem, ut semper scias quomodo se habeat anima istius, illiusve; quo indigeat consilio, vel remedio; laude, vel vituperio; incitamento, vel correptione.

4. Sic videbis qui pii sint, et eos perficies, plusque sanctificabis: qui peccatores et iniqui, ipsosque ad poenitentiam vocabis:

Qui luxuriosi; et occasiones conaberis e medio tollere, labilem juventutem a choroeis et saltationibus retrahere, vanitatem reprimere, periculosas frequentationes resecare, lascivos cantus impedire, et sacra cantica ipsis industriose substituere.

Videbis qui inimici sint invicem; et odia niteris extinguere, reconciliationes promovere.

Qui avari; et ad liberalitatem misericordiamque adhortaberis: qui injusti et rapaces, usurasque et fraudes conaberis resecare.

Qui conjuges invicem non concordent; et pacem caritatis meae inter eos niteris stabilire.

Qui blasphemi; et increpabis eos: qui in eloquio inverecundi, aut detractores; et eos obmutescere facies:

Qui parentes liberorum curam non habentes; et eos reprehendes: qui filii parentibus non obedientes; et eos corripies:

Qui ignari; et eos edoceri curabis: qui ad sacramenta, divinaque officia tardi; et ipsos stimulabis, compelles:

Qui ebriosi et voluptatum amatores; ipsosque irae meae comminatione terrebis.

Quae loca publica vitiis et iniquitati ansam praebeant; ipsaque per potestatis civilis invocationem reprimi facies, et reformari.

Qui libri contra fidem et bonos mores spargantur, habeantur, legantur, ipsosque auferri, convelli, comburi satages.

Vide quomodo per vigilantiam malis omnibus poteris mederi, bona maxima procurare, omnibus omnia fieri, sicut Dei ministrum decet.

5. At vero sine vigilantia, quantumlibet pius sis, et doctus, quid proderis? quid proficies laborando, docendo?

Eris, fili, aes sonans, cymbalum tin-

niens : aures percuties, sed rem non attinges.

De dogmate tractabis, quando de moribus esset agendum; et de moribus, quando de dogmate tractandum.

Remedia indicabis, et porriges contra mala quae non sunt; et mala quae serpunt, crescere, diffundi permittes.

Eris medicus doctus quidem, sed insanus qui, aegrotum non observans, stomachum sanum curat, dum pectus infirmum debuisset curare.

Ergo caute vigila super agrum tuum: ut possis opportune plantare, ubi nihil est; rigare, ubi siccitas; stercora mittere, ubi sterilitas.

CAPUT XLVIII.

De Catechizandis parvulis.

1. Frange, fili, parvulis panem: isti prae caeteris sunt mihi cari et dilecti. Adduc eos ad me; talium est enim Regnum coelorum.

Ex infantibus bene enutritis et educatis, fit populus fortis et honestus: ex infantibus bene instructis et timoratis, prodit societas fidelium, et populus sanctorum.

Sicut messis pendet a semine; ita sanctificatio hominum a primitiva institutione.

Semina, fili, ut metas: semen pietatis et sancti timoris mitte in corda puerorum, illud frequentis rore exhortationis riga: germinans germinabit, et dabit fructum in tempore suo.

Mollia sunt, sicut cera, infantium corda: formam quam volueris facile suscipient. Imprime ergo illis sanctimoniae formam, et manebit.

2. Non pudeat te, fili, esse sicut parvulus in medio eorum, et quasi nutrix quae fovet filios suos: non enim me puduit esse hominem inter homines, ut te redimerem.

Non puduit Paulum fieri infirmis infirmum: omnibus omnia factus est, ut omnes faceret salvos.

Eliam et Eliseum imitare. Ut spiritum puero communicarent, non veriti sunt juxta parvitatem pueri membra sua contrahere: os super os, manus super manus, pedes super pedes coaptando apponere; ita, se puero conformando, spiritum vitae infuderunt.

Sic et tu, licet scientia eminens, non dedigneris ad puerorum et rudium captum te demittere; ut illis gratiae Spiritum in-

spires, et solidam escam nondum ferentibus, lac apponas, ut crescant in salutem.

3. O piissime Jesu! quis ultra verecundabitur esse humilis ad parvulos; quando tu, qui Deus es, usque ad puerorum amplexus brachia tua mansuetus inclinas, atque circumligas?

Da mihi aliquem, qui spiritualis sit; qui quaerat, non quae sua sunt, sed quae tui; qui totus sit caritate, humilitate et pietate repletus: iste intelliget quam bonum et quam jucundum, quam necessarium et gloriosum sit se impendere sanctae institutioni parvulorum.

4. Nauseat quidem, fili, anima superborum super isto munere: pereuntibus enim stultitia est; sed sanctis ministris, Dei virtus est.

Quid enim majus est, quam animas illuminare, sanctificare, perficere, salvare? Et quandonam magis illuminantur, sanctificantur, perficiuntur, salvantur, nisi cum parvuli edocentur?

Saepius forsan, fili, ex cathedra sancta intonuisti: et quot convertisti? Magnificentius operatus es, quam cum infantibus: sed quis fructus? Semen cecidit supra petram, et natum aruit; quia non habebat humorem.

Semina, fili, super bonam terram, super corda adhuc innocentia. Simplicitas tua erit quidem lampas contempta apud cogitationes divitum: sed semen orietur, faciet fructum centuplum; et quod seminaveris in humilitate, in exultatione metes.

5. Doce ergo parvulos, et doce frequenter. Ne alta, ne plura dixeris; sed pauca, sed obvia, sed ad captum accommodata, sed lucida, sed saepius et varie repetita.

Ne dominanter nimis, sed suaviter, sed amanter, nisi duri sint et rebelles: ne nimis familiariter, sed paterne: ne jo-culariter, sed modeste et religiose.

Ne doctrinam et praecepta sola exponas; sed exempla et motiva trade.

Venerentur te, timeant te, diligant te, te audire gaudeant: sic verba tua mollita super oleum, fient jacula, quae cordi semel infixa manebunt.

6 Nec tibi tantum cura sit de instructione eorum: et quid scientia sine moribus? Accurate ergo vigila super vitam eorum.

Pluries in anno congrega pusillum tuum gregem, et vultum ejus diligenter agnosce.

Confessiones parvulorum audi: inter-

roga eos ; videbis saepius malitiam aetatem praevenisse , et vix natis quandoque fraenis opus esse .

Tunc fraena mittes , et impetus malus coercebitur : serpens adhuc parvus interficietur . Pietatem in loco vitiorum plantabis ; oratione rigabis , et crescet .

Si vero assidue non attenderis , nec in confessione pueros audieris ; orientur spinae , ascendent , suffocabunt omne bonum semen : et sic in tempore messis non invenietur nisi zizania in fasciculos alliganda ad comburendum .

CAPUT XLIX.

De Pauperibus et Rudibus erudiendis .

1. Non est personarum acceptio apud me , fili : omnes animae meae sunt ; omnes sanguine meo sunt redemptae .

Non est dives et pauper in conspectu meo : utrumque eadem manet aeternitas ; eadem gloria , si salventur ; eadem damnatio , si pereant .

Eumdem Patrem habent in coelis , eamdem Ecclesiam matrem in terris , eamdem escam spiritualem in sacramentis .

Quia imo pauperibus evangelizare misit

me Pater meus: tu, fili, ad idem opus missus es; vide igitur, ut ministerium tuum impleas.

2. Concionaris, catechizas: verum nonne sunt plurimi, qui a calore tuo absconduntur?

Nonne plures de ovibus tuis, in paupertatis sordibus et vitiis affinibus haerent, sine instructione?

Nonne multi sunt, qui nimio pudore affecti, prae inopia sua, prae vestium decentium defectu, in ecclesia comparere non audent, neque instructionibus interesse?

Nonne plures, prae sua in sylvis aut remotioribus agris a templo distantia, aut prae pecorum cura, ad officia divina convenire non valent: sicque rudes plane remanent et agrestes, in suis tenebris, et coeca ignorantiae nocte?

Pastor, quid de istis ovibus? Praedico, inquis, catechizo: accedant, et audient. O fili! non invenio opera tua plena.

Apostolis meis non dixi tantum: docete: sed ite, et docete. Et tibi dico, fili, exi in vias et sepes: debiles, coecos, claudos inquire, voca, compelle intrare; ut impleatur domus mea coelestis.

3. Sed moneo, inquis, ut accedant,

et audiant. Fili, num sufficit pastori clamare ad oves errantes? Non: sane: sed currit, donec inveniat eas.

Ego Pastor bonus, dum fui in mundo, tales oves non expectavi tantum; sed et ardenter quaesivi per deserta.

Temetipsum, fili, non expectavi, sed quaesivi: et si te prior non requisissem, et reduxissem, ubi esses?

Ego ad puteum Samaritanae perrexi; ibi catechizavi, ibi evangelizavi eam.

Vide quomodo Apostoli mei per vicos, casas, mapalia agrestia, deserta loca pertransierunt, doctrinae veritatem, lucem gratiae, pacis benedictionem omnibus impertiendo.

Vide quomodo Borromeus, Salesius per loca praerupta et invia, quasi reptantes iverunt, ut ad inaccessos populos pertingerent, et pauperibus evangelizarent.

4. Curre et tu, fili, curre ad oves longinquas, et audient vocem tuam.

Visita eas, sicut ego visitavi oriens ex alto; illuminare his qui in tenebris, et in umbra mortis sedebant: congrega eas, ut des illis specialem escam in tempore opportuno.

Si nimius sit grex tuus, ita ut singulis ovibus ignaris non possis specialiter auxi-

lia sanctae doctrinae ferre; cura ut, per sapientiores, prudentiores et doctiores oves, ignarae erudiantur.

Et tu ipse super omnia intende et vigila, rationem frequenter exposce; et non quiescas, donec cognoveris eas in lumine et sanctitate ambulare, instructas et pias esse.

Magnus labor, inquies forsan: quid est quod loqueris, fili? Cessa conqueri, consideratis meis et Sanctorum meorum pro salute animarum laboribus.

Erubesce Sidon, ait mare; et si causam quaeris, audi quare: pro modica praebenda longa via curritur; et pro pretiosissimis animabus, vix semel pes a terra levatur.

CAPUT L.

De Praedicatione Verbi Divini.

1. Vae tibi, fili, si non evangelizaveris! Clama, ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera et peccata eorum.

Voca eos ad poenitentiam; doce eos servare omnia quaecumque mandavi eis.

Si non annuntiaveris, et péreant, sanguinem eorum de manu tua requiram: si

annuntiaveris, et non faciant; tu animam tuam liberasti.

Loquere, loquere de testimoniis meis in conspectu regum ipsorum, et non confundaris: non enim tu es qui loqueris; sed Spiritus Patris mei qui loquitur in te.

2. Audisti praeceptum, fili: vae tibi si non obediveris! poenas dabis in interitu aeternas cum venero judicare.

Audisti quale sit ministerium tibi commissum: vide quam sublime sit. Dei coadjutor constitutus es: pro ipso legatione fungeris, tanquam Deo exhortante per te.

Per te; quasi per aquaeductum, verbum suum emittit; gratias suas et merita distribuit.

Et tu ad praeceptum tam rigorosum et tam honorificum implendum piger esses! Per sabbata et neomenias, per dominicos et festos dies labia clausa teneres! Absit, fili, absit: praedica verbum, praedica assidue.

Non de solo pane vivit homo; sed de omni verbo quod procedit de ore meo: da panem hunc de coelo descendentem ovibus tibi commissis, ut non moriantur; da frequenter, ut crescant et roborentur.

3. Prius feci, deinde docui: sic praedicavi, fili. Fac igitur prius, ut gregis mei forma factus, ipsum ex animo pascas.

Optima erit praedicatio in qua dices ad oves meas, plus exemplis quam verbis: imitatores mei estote, sicut et ego Christi.; ambulate sicut habetis formam nostram.

Qualiter virtutes commendare poteris, si ipsis careas? Quomodo vitia resecabis, si in ipsis vivas? Sanctus, castus, sobrius, justus, misericors, pius esto, si vis caeteros tales reddere.

Non confundant sermonem tuum opera tua; ne, cum in ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat: cur ergo haec quae dicis, ipse non facis?

4. Non in persuabilibus humanae sapientiae verbis, sed in virtute Dei praedica fili. Non misi te ut mirentur te, sed ut per te convertantur ad me.

Non sermones placentes auribus, sed corda penetrantes edidi ego, dum inter homines versarer, abnega temetipsum, fili, et sequere me.

Quaere gloriam meam, quaere proximi salutem: nihil dicas, quod ad hos

fines non tendat : nihil proferas, quod vulgi captum excedat.

Praedicas, ut audiaris et intelligaris; non ut sonum inanem edas: devita ergo profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae.

5. Ego sum, qui doceo manus ad praelium, et digitos ad bellum: ne igitur cum praedicationis gladio pugnare praesumas, nisi a me didisceris.

Disce per orationem: invoca me, et veniet in te Spiritus sapientiae. Disce per studium: scrutare Scripturas, ibi invenies jacula.

Accipe de doctrina mea, quod exponas in Ecclesia: non enim ex te annuntiabis eis, sed ex me.

Imple ergo cor tuum eloquiis meis, ut ex abundantia cordis os loquatur.

Disce, priusquam doceas: alioquin eris nubes sine aqua, et ubera arentia porriges.

Cum cathedram ascensurus es, cogita me esse praesentem; me Verbum aeternum voce tua uti, ad salvendas animas.

Sic, quasi unum mecum esse, cum Spiritu meo, cum caritate mea, cum potestate mea; loquere quae decent sanam doctrinam.

Ne vane tibi complaceas, si sermo currat: ne nimium confundaris, si non currat.

Nil vales sine gratia mea, omnem ergo succesum mihi tribue, omnemque defectum cum humiliatione tibi imputa.

Quantumlibet bene praedicaveris, quid egisti? Plantasti, rigasti: ego solus incrementum do. Roga ergo me, ut fructum ex labore tuo educam.

7. Ne concidas animo, fili, si exiguus fructus ex cóncionibus tuis sequatur: curam a te exigo, non curationem.

Si pacem tuam homines non susceperint; ad te revertetur, et non perdet mercedem suam.

Ne itaque praedicare desinas, quia fructum non vides; saepius absconditi sunt fructus, et non apparent.

Si deinde per centum conciones unam tantum mihi animam lucrareris; nonne multum esset? Tanti enim valet una anima, quanti sanguis meus, quem pro ea effudi.

Labora indeffessus, fructum ampliorem de bonitate mea semper expectans.

Cum, per totam noctem laborans, nihil ceperis: una forsan vice trahes multitudinem piscium copiosam; tantum er-

go in nomine meo laxa rete ; praedica in omni patientia .

8. Demum , cum omnia impleveris , dic : servus inutilis sum ; quod debui facere feci .

Time ne forte , cum aliis praedicaveris , ipse reprobus efficiaris .

Multi enim venient dicentes : Domine , Domine , nonne in nomine tuo praedicavimus , virtutes multas fecimus ? Et confitebor illis , quia nunquam novi vos .

O fili ! quam multi concionatores apud inferos cruciantur , qui plus habuerunt copiae et leporis in dicendo , quam tu, et plures a scelerata vita ad piam honestamque vitam traxerunt quam tu !

Ipsi tamen miserrime periere ; cur ita ? Ob eam maxime causam , quia prae elatione et arrogantia insolentes , divina bona Deo non retulerunt accepta , sed vindicarunt sibi .

Quocirca humanae avidos laudis , vanaque sui opinione inflatos , inanis gloriae cupidos , in locum ad quem anhelabant , evexit Dominus , unde in exitium ruerent sempiternum .

CAPUT LI.

De Confessionum Auditione.

1. Accepisti Spiritum sanctum, fili, judex populi mei constitutus es: ligabis et solves; peccata remittes, peccata retinebis.

Ecce tibi jura mea concessi: qualis potestas, fili! qualis honos! Sed quale munus! certe angelicis humeris formidandum. Qualis ars! certe ars artium.

Non morbos qui corpus occidunt, sed qui animam et corpus perdunt in gehennam, curare debes. Qualem ergo tanti medici labia custodient scientiam!

Non carnem a morte, sed animas ab aeterna damnatione eripere et salvare debes. Qualem ergo tanti salvatoris animus misericordiam habere necesse est!

Non super lites et jura hominum inter se, sed super ipsa jura mea, inter me et eos, debes ferre judicia. Qualem igltur tanti judicis mens aequitatem tenere debet!

Scientiam quaere in libris, per studium: sapientiam vero prudentiae, misericordiae et aequitatis trahe de coelis per orationem.

Ego sum Pater luminum, qui do omnibus affluenter: pete, fili, et accipies.

2. Ne reponas in sudario talentum quod dedi tibi; sciens quia homo austerus sum, ne ideo ministerium formidandum exercere omittas.

Habens salvandi potestatem, jam non licet tibi a salvationis opere abstinere.

Fac quod in te est: stude, ora, age, absolve, liga, prout melius coram me judicaveris; mihi deinde omnia committe.

Ego scio quos elegerim: homines sunt, non angeli, quos sacerdotes constitui.

3. Laboriosum quidem est ministerium hoc, fili: cave ne idcirco pigriteris et negligas.

Ego in laboribus fui a juventute mea: parum est igitur si dies, menses et annos in opere salutis animarum consumas. Cum ego sanguinem profudi, vitam dedi.

Disciplina quidem haec non est primum gaudii, sed moeroris: at postea fructum pacatissimum afferet per eam exercitatis.

Ibi utique labor est fructuosus; ibi oves inveniuntur, et reducuntur, gaudente Coelo, laetantibus angelis.

Ibi sordes absterguntur : ibi vulnera sanantur : ibi peccata auferuntur : ibi innocentia lapsis redditur, et deformata prius redit pulchritudo.

Ibi sancta via coeli aperitur : ibi infernus clauditur : ibi diabolus ligatur : ibi pax mea datur : ibi lac debilioribus porrigitur : ibi esca valentioribus distribuitur.

Ibi pusilli roborantur ; ibi fortes excitantur : ibi immundi casti fiunt : ibi injusti redduntur probi ; ibi inimici reconciliantur : ibi detractores emendantur.

Ibi blasphemi corriguntur ; ibi sacrilegi ex abysso retrahuntur : ibi indocti scientiam, et imprudentes sapientiam accipiunt.

Ibi fons hortorum, puteus aquarum viventium, quae fluunt impetu de Libano.

Ecce, fili, quanta potes in tribunali ovibus meis praestare : scienti igitur bonum, et non facienti, quomodo tibi peccatum non esset ?

4. Voca ergo peccatores ad poenitentiam : si vocare et exaudire neglexeris, lupus veniet, et disperget oves, refrigescet caritas, abundabit iniquitas.

Nulla erit in juventute castitas ; nulla inter conjuges pudicitia ; nulla in nego-

tiatoribus aequitas ; nulla in servis fidelitas ; nulla in heris justitia , nulla in parentibus cura ; nulla in filiis obedientia .

Brevi tandem , nulla in toto grege pietas , nulla fides , nulla religio .

5. O sacerdos ! O tu praesertim , qui curam habes animarum ! vide , et perpende qualem delictorum sarcinam super caput tuum congeris , si oves tuas ad tribunal frequenter vocare , et accedentes audire negligis ; vel si audiens , sine cura , sine zelo , sine aequitate rem facis .

Quid respondebis , quando ad tribunal meum vocatus , a me judicaberis , et accusaberis ab ovibus tuis , dicentibus : periimus , quia non habuimus hominem qui nos in piscinam projiceret ?

CAPUT LII.

De Misericordia in sacro Poenitentiae Tribunali tenenda .

1. Fili , esto misericors , sicut Pater tuus coelestis misericors est : disce a me quia mitis sum corde .

Calamum quassatum non confregi ; lignum fumigans non extinxi : sed ovem quae erraverat , gaudens in humeros mansuete levavi .

Peccatrici de criminibus lugenti laudans veniam dedi : Petrum misericors respexi : Latroni converso paradisum benignus aperui.

Ecce quomodo mihi proprium fuit misereri semper et parcere.

2. Vide ergo, fili, quanta benignitate debeas tu, Mysteriorum meorum dispensator, erga peccatores ad tribunal poenitentiae accedentes uti.

De regione longinqua venit aliquis; id est: per multos menses et annos forsan Dei Creatoris sui oblitus est, animaeque suae salutis immemor fuit; sed tandem dixit intra se: surgam, et ibo ad patrem. Surgit et venit.

O fili! suscipe eum gaudens, suscipe mansuete: certe errantem sollicite quaerere debueras: quanto magis redeuntem non repellere.

Alter sceleribus gravatus, in altissima quasi vitiorum faece demersus, ulceribus plenus, sordibus scatens accedit.

O fili! ne ex falso zelo horrescas, ne objurges, ne increpes ab initio. Sed è contra dic amanter, sicut ego: veni ad me, qui laboras et oneratus es: fiducialiter veni, et reficiam te in Domino.

Fac secundum exemplar patris prodigi illius, quod tibi monstravi.

Vide, fili, attende: venit filius quem pater summopere dilexerat, et qui pessime aufugerat;

Qui prius in domo paterna bonis abundaverat, et qui vivendo luxuriose substantiam suam dissipaverat;

Qui togis pretiosis olim vestiebatur, et laceris pannis modo tegebatur: ingratus fuerat, impius fuerat, scelestus fuerat.

Venit tandem: pater videt, accurrit, super collum ejus cadit, in amplexus ruit, lacrymis rigat, manu levat, benigne ducit, stola prima operit, annulo ditat, vitulo saginato reficit, symphonia reducem celebrat.

Vide, fili: non increpat offensus pater; nullum irae, nullum quidem moeroris dat signum.

Quid per parabolam hanc volui significare? Audi, fili. per hoc dixi peccatoribus, ut ad te, quasi ad patrem, redirent sine timore; tibi autem, ut ipsos reciperes sine rigore.

3. Nosce, fili; nosce cujus spiritus sis. Non misi te, ad animas perdendas; sed ad lucrandas, ad salvandas.

Et idcirco te peccatorem constitui super illas, ut tu sciens, qualiter tui mi-

sertus sim, scias quoque, qualiter illarum debeas misereri.

Equidem praecepi tibi ut potenter et quasi tuba exaltares vocem tuam, et annuntiares eis scelera eorum: sed ubi, sed quando, fili?

Ubi? in cathedra, ubi doces, ubi vocas, ubi impavidos turbare conaris.

Quando? quando duri sunt, ad cor non redeunt, de conversione non cogitant.

Tunc dic illis mecum: progenies viperarum! vae vobis, hypocritae! vae vobis, qui ridetis nunc! vae vobis, qui per spatiosam et latam viam inceditis!

At in tribunali, quando veniunt, ut sanentur; dic, fili, cum bonitate: ecce adsum, ut curem vos; ut exonerem vos, ut sub alas congregem vos.

O! filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis! venite: cor contritum et humiliatum Deus noster numquam despicit.

Venite, compungimini: et si fuerint peccata vestra, ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; et si fuerint rubra, quasi vermiculus, velut lana alba erunt. Filioli, si audieritis me, bona terrae comedetis.

Mollìantur sic sermones tui super oleum, et fient jacula.

4. Si vero, fili, dure increpes ab initio, vel etiam in decursu sine necessitate, quid fiet?

Ovis ad ovilis portam iam redux, vel territa fugiet, rata se invenisse lupum, non pastorem:

Vel sine fiducia rem aget, putans esse dominatorem, non patrem;

Vel etiam occultiora, periculosioraque vulnera celabit, tortorem sibi in ministro fingens, non medicum.

Sicque peribit per culpam tuam frater pro quo ego mortuus sum, quem ad te miseram, quem tibi fiducialiter commiseram.

5. Verba igitur tua sint bona, sint consolatoria: verum concordet verbis clemens directionis norma.

Memineris, fili, poenitentem fratrem tuum, hominem esse, non angelum: memineris te esse, non justitiae vindicantis, sed justitiae miserantis ministrum.

Cave, ne vinum novum in utres veteres mittas: ne commissuram panni rudis in vestimentum vetus: ne onera gravia et importabilia in humeros ponas, quae digito forsan tuo nolles movere.

6. At, fili, coge eos servare omnia, quae ego mandavi tibi: praecipe, ut quiescant agere perverse: praecipe, ut discant juxta mandata benefacere.

Neque existimes, misericordiae esse, margaritas ante porcos mittere; aut dare panem angelorum his qui siliquis delectantur porcorum.

Neque clementiae esse censeas, illorum remittere crimina, in quibus est emendatio nulla; illorum solvere delicta, quorum poenitentia et contritio prudenter judicatur fallax et vana.

Intellige, fili, quae dico. Numquid istud vocabis misericordiam, si accedat aliquis levissimasque culpas declaret, de caetero se innocuum dicens; dum tamen alii ejusdem status gravibus dediti sunt criminibus: tu vero non interroges: sed pertranseas, et absolvas?

Quid, fili! hoc non est animas salvare, sed perdere.

Nonne plures sunt aegroti in ultimis positi qui medico dicunt: Bene me habeo. Et si medicus declarationi credat, dicatque bene est, amice: surge, manduca, bibe: peribit utique aegrotus. Et cum perierit, num laudabis medicum?

Damnabis sane, et dices: debuisset

ulterius inquirere, debuisset interrogare.

Interroga ergo, fili: fode parietem, dic: quantum debes Domino meo? ut deinde possis adjicere: redde quod debes: declina ab hoc malo; fac hoc, quod tibi praeceptum est, bonum: alioquin non vives, frater, sed morieris.

7. Numquid istud vocabis misericordiam, si veniat alter confitens se ulceribus jam inveteratis esse plenum, criminibus assuetum, tu vero dicas: doles, frater? et cum responderit, doleo; tu statim pertranseas et absolvas?

Quid, fili! hoc non est animas salvare sed perdere.

Ostendisti Chirurgo putridum vulnus membri tui. Amputandum fuisset membrum, ut servaretur corpus.

Ille vero hoc tibi proponere non ausus est, neque necessarium dicere: sed vulnus tantum fovit et ligavit.

Brevi serpit putredo: malum modo insanabile factum est: jam moriendum tibi est. Quid censes de Chirurgo?

Utique dicis: fiducialiter ipsi vulnus ostenderam, ut illud curaret. Si membrum necessario amputandum dixisset, consensissem. Non dixit, non praecepit; mortis meae reus est.

Muta nomen, fili. Hic est ille Sacerdos, qui non praecepit peccatori in consuetudine posito, dicens: Frater, manus tua scandalizat te: abscide eam, et projicie abs te. Pes tuus, oculus tuus scandalizat te: abscide, erue, projice abs te; alioquin cum illis mitteris in gehennam ignis.

Id est: nisi projeceris praevaricationes illas, quibus assuetus es; non remittentur tibi, neque in hoc saeculo, neque in futuro.

8. Certe, fili, si bonum poenitentis quaeris, si animum ejus misericorditer, uti debes, salvare velis: curandum tibi est ut non apparenter peccatum tegatur; sed ut revera intus deleatur, auferatur, pereat.

Quod utique fieri nequit, nisi vere doleat poenitens, nisi sincere crimini renuntiet, consuetudinem et occasionem proximam dimittat, injuste detenta restituat, cum inimicis concilietur, damna illata resarciat.

Deinde, fili, qualis est illa misericordia quae coeco omnino, sine regula et sine prudentia, cuique indisposito beneficium absolutionis impertitur?

O falsa pax quae bellum in corde re-

linquit ! O deceptrix medicina quae soporem dat, non curationem; interfectionem, non vivificationem !

O injustum judicium quo, pro hominis male desiderantis satisfactione, mea jura produntur !

Etenim, fili, qui peccatorem non contritum et ab iniquitate sua non conversum, vel sciens, vel etiam prae culpabili imperitia ignorans absolvit, pacem meam inimico meo, dum odit me, praestat; meipsum tradit in manus illius, ad crucifigendum.

9. Vide, fili, quomodo spelunca latronum fiat quandoque domus mea: vide quomodo ibi incauti sacerdotes praevaricentur.

O novi Pilati qui me sic, per ignaviam et culpabilem indulgentiam tradunt cuique petenti !

O prophetae iniquitatis ! qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, et faciunt cervicalia sub capite universae aetatis, et sic confortant manus impiorum, ut non revertantur a via sua mala; et sic proselytos suos faciunt in tribunali filios gehennae duplo quam antea.

Portabunt utique iniquitatem suam,

juxta iniquitatem illorum : sic iniquitas falsorum illorum prophetarum erit.

Certe ira mea veniet super eos : non enim hominis exercent judicium, sed Domini ; et quodcumque judicaverint, in eos redundabit.

10. Fili, fili, absit a te tam iniqua, tam crudelis, tam scelesta misericordia!

Memento tibi datam esse, non solvendi tantum, sed et ligandi potestatem et praeceptum.

Igitur diligenter cura ut in ministerio tuo misericordia et veritas obvient sibi, justitia et pax osculentur se. Sic eris fidelis et prudens dispensator.

CAPUT LIII.

De Zelo pro Peccatorum Conversione.

1. Peccata tua tuli super crucem, fili, ut, peccatis mortuus, justitiae viveres.

Ut peccati corpus destrueretur, veni, laboravi, praedicavi, passus sum, mortuus sum.

Vis ergo, fili, vis esse pastor secundum cor meum? fideliter labora, ut deleatur iniquitas.

Trahe, quantum in te est, peccatores ad baptismum poenitentiae, in remissionem peccatorum.

Perge ad eos; et, sicut Angeli Loth e Sodoma eduxerunt, apprehende tu manum eorum qui perditionis viam sectantur; et in viam salutis reducere stude.

2. O fili! amas me? ecce isti rursum crucifigunt me quotidie in semetipsis, opprobriis satiant, alapis caedunt, flagellis scindunt, spinis coronant: et tu frigidus et immotus haec omnia cerneres!

Fleverunt sanctae mulieres, ubi viderunt me ad locum Calvariae pergentem, sub cruce et vulneribus fatiscentem; infremuerunt intra se, me non valentes liberare: et tu fili, qui potes me a nova passione praeservare, non faceres!

Et tu amice mi, non stares pro me adversus peccatores, qui manibus impiis me quotidie percutiunt et dilacerant!

Aufer, aufer, quantum in te est, abominationes impietatis: converte peccatores, ut crimina sua relinquentes, mihi parcant.

3. Amici mei, noti mei recesserunt a me: relicto me, fugerunt.

Impietates, furta, impudicitiae, adulteria, blasphemiae, ebrietates, doli, frau-

des, detractiones quotidie multiplicantur; malorum infinitus est numerus: et tacent sacerdotes mei.

O amici mei! quomodo mihi mutati estis in crudeles? O sacerdotes! apprehendite disciplinam; nequando irascar, et pereatis de via justa.

4. Oves meae erraverunt in viis inferni, ad abyssos tormentorum properaverunt: et illi quos custodes gregis mei constitui, non clamant, non currunt, non reducunt oves.

Dispersae sunt sub oculis pastorum; et factae sunt in devorationem bestiarum.

O pastores et idola, derelinquentes gregem meum! in furore meo arguam vos; in ira mea corripiam vos: dabo ignem et vermes in carnes vestras; ut uramini, et sentiatis usque in sempiternum.

5. Fili, fili, si quis erraverit a veritate; converte eum, salva animam ejus a morte.

Lacrymare super eum; apprehende illum, admone, consule, exhortare, demonstra caritatem: comprehende pedes, osculari non erubescas.

Intona super eum judicia mea, ostende illi ignem devorantem, ardores sempiternos.

Coge eum ad poenitentiam, sicut bonus medicus aegrum ad medicinam.

6. Vide Joannem discipulum quem diligebam: vide quomodo adolescentem Episcopo prius commendatum, deinde praedonum ducem factum, inter arma sicariorum, per montes et sylvas, jam senex ipse requisivit, reduxit, convertit. Vade ad peccatores, et fac similiter.

CAPUT LIV.

De Oratione pro Peccatoribus.

1. Postulavi Patrem meum, et dedit mihi gentes in haereditatem: postula, fili, et dabit tibi peccatores in conversionem.

Dedit petenti Stephano Paulum; dedit obsecranti Monicae Augustinum: pete tu, et accipies.

Amen dico tibi: si quid petieris Patrem in nomine meo, dabit tibi; crede quia accipies, et fiet tibi.

2. Audisti, fili, vim et efficaciam orationis? Juravi ego Dominus, et non poenitebit me.

Si igitur sint in grege tibi commisso oves errantes, vel jam pereuntes, quas

voce monitionis, obsecrationis, increpationis reducere nequivisti, ora.

Exemplum dedisti, verbum praedicasti, manet oratio; tria haec: major autem oratio.

Ora igitur ut Pater meus mittat paracletum Spiritum suum, qui loquatur ad corda eorum, illos convertat, et vincula eorum disrumpat.

Quod aliis orantibus jam toties concessit, quare tibi enixe roganti recusaret? Ora pro omnibus; ora praesertim pro peccatoribus.

3. Advocatus sum apud patrem, ego Christus ejus: libenter respicit in faciem meam.

Sanguis meus, in conspectu ejus, longe melius loquitur quam sanguis Abel.

Ecce, fili, in manibus tuis sum: offer sanguinem meum, offer corpus meum, offer me totum Patri in sacrificio, ex toto compassionis affectu, pro peccatoribus, ut convertantur.

Offer pro illis praesertim, quos scis majoribus criminibus praegravari, durioribus vinculis detineri.

Offer: ego sum propitiatio pro peccatis, et peccatoribus. Offer: hoc sancti mei assidue fecerunt, et ideo tot peccatores converterunt.

4. Est et apud me in coelo advocata potens, Maria mater mea: non est auditum a saeculo, quemquam ipsam invocantem fuisse derelictum.

Si igitur desolaris super iniquitatibus populi tui; clama ad Mariam: est consolatrix afflictorum.

Si gratias speciales desideras, ut convertas iniquos; clama ad Mariam: auxilium est Christianorum, et mater Divinae gratiae.

Si peccatores quasi desperati videntur; clama ad Mariam: est refugium peccatorum, mater misericordiae; sub praesidium ejus illos constitue.

Nullum est gratiarum et benedictionum genus, quod ipsa non possit illis obtinere, et quod non debeas ab illa pro ipsis fiducialiter expectare.

CAPUT LV.

De cura Infirmorum.

1. Infirmus eram, et non visitastis me; hoc exprobrabo, fili, in die judicii, hominibus: quanto magis sacerdotibus.

Crimen est corporalia auxilia infirmis debita non praestare: quanto magis spiritualia non ministrare.

Periclitatur in infirmitate corpus; sed multo magis periclitatur anima.

Illud quidem in pulverem revertitur: verum haec ad judicium transibit; ibit in domum aeternitatis suae.

Horrendum est autem, fili, incidere in manus Dei viventis: quanta igitur diligentia debes animas ad transitum praeparare.

O! si per culpam tuam, una tantum anima gratia sanctificante, in ultimo periculo, privaretur; si, per negligentiam tuam, absolutione, sacro viatico, ultima unctione careret, et idcirco criminibus cooperta coram me sisteret, et judicata damnaretur: quale crimen commisisses! qualis ultio te maneret!

In saecula saeculorum malediceret tibi perdita anima; te in aeternum dilaceraret et cruciaret.

2. Ubi ergo aliquam ovem notabiliter aegrotantem audiveris, curre ad illam. Et postquam te doloribus ejus compatientem exhibueris, et per benignitatem in cor ipsius suaviter intraveris; ministerium tuum offer.

Si oblatum suscipiat, imple: si non suscipiat, et infirmitas ad periculum tendat, insta, obsecra, increpa, coge.

Nulla satis magna securitas, ubi periclitatur aeternitas.

Ne discedas igitur, donec ovem super humeros susceperis.

3. Gratiarum Spiritu invocato, excipe confessionem.

Juva infirmum: cave ne animum ejus per morbum jam debilitatum longiori discursu fatiges: verumtamen omnia necessaria perquire.

Interroga praesertim et vide, num sit aliqua culpa in confessione prius celata et occulata, quae hodiedum conscientiam ejus gravet.

Dissipa falsum pudorem: fode parietem, et extrahe ossa mortuorum.

O quanta vulnera saepius invenies! Quales iniquitates, quas, nisi prudenter extorseris, retinebunt aegroti usque ad mortem, et quae cum illis in pulvere dormient!

O quale servitium praestitisti, si abominabile hoc secretum fregisti! Qualem consolationem infirmo suppeditasti! Quale obstaculum ad salutem amovisti! Beatus eris, o fili! si id feceris.

Praecipua etiam vitae crimina, quantum status et circumstantiae patientur, adhuc exponi satage:

Occasiones proximas dimitti, scandala reparari, reconciliationes fieri, restitutiones solvi praecipe, et perfici cura. Poenitentiam levem statui infirmi non imparem impone; monens et jubens, ut, cum sanus fuerit, de novo ad tribunal accedat, et congruam satisfactionis poenam suscipiat.

4. Confessione excepta, loquere ex toto corde ad cor ejus: mitte jacula, excita dolorem, insinua contritionem, lacrymas pro posse provoca, accende amorem, ingere fiduciam.

Multi peccatores in morte confitentur, pauci salvantur; quia deest contritio quae, si adesset in gradu congruo, aegrotum, etsi impiissimum, poenitentem faceret atque sanctum.

Igitur, totis animi tui nisibus labora, ut aegrotum ad summum quem poteris contritionis gradum inducas.

5. Sacro ministerio impleto, aegrum sanctissimo Viatico refectum et unctione levatum ne derelinquas.

Filium Deo parturivisti: filium hunc, quasi blanda mater, enutrire satage; jamque praeparatum magis ac magis justifica et sanctifica.

In infirmitate plus laborat Diabolus,

sciens quia modicum tempus habet.

Igitur aegrotum frequenter visita, ut illum contra insidias inimici robores, in gratia Dei confirmes, in doloribus juves, in anxietatibus consoleris, et passim etiam adhuc absolvas.

Sanctae fidei, spei, caritatis et contritionis actus suggere: desideria aeternae beatitudinis inspira.

Subjectionem divinae voluntati commenda: ad patientiam hortare; Christi Domini crucem saepius porrige.

Dei Matris, Sanctorumque suffragia pro ipso postula: sacras indulgentias, si facultas tibi sit, applica.

6. Si vero, prae multitudine laborum tuorum, ad aegrotum non potes frequenter accedere; cura, fili, ut praedicta auxilia praestet illi sancta quaedam, prudensque persona quae te etiam de statu agroti saepius moneat: ut saltem in majori periculo praesentia tua aegroto non desit.

Spiritualibus etiam temporalia, pro posse tuo, liberaliter adjice, si infirmus sit in egestate positus.

O fili, si haec feceris, eris vir misericordiarum: exaltabo te in ecclesia plebis meae; quia infirmus fui, et visitasti me,

CAPUT LVI.

De benigna Caritate erga Proximum.

1. Miserator et misericos sum, fili; longanimis, et multum misericors: suavis universis, et miserationes meae super omnia opera mea.

O fili! non veni animas perdere, sed salvare: et ad salvandum, non gladio, sed benignitate usus sum.

Vincula mea fuerunt funiculi Adam, vincula caritatis: onus meum leve, jugum meum suave.

Vis, fili, vis allicere animas? Vis illas mihi devincire? ostende benignitatem, expande caritatem.

Fortis est ut mors dilectio: omnia vincit, rudiores et duriores domat.

Videant oves te, ex puro salutis suae desiderio, ex animo materno, omnia erga ipsas agere, et tibi ultro se tradent.

2. O! si, cum affectu Pauli, diceres ad illas: testis est mihi Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Jesu Christi.

O fili! os nostrum patet ad vos; cor nostrum dilatatum est. Non angustiamini in nobis; angustiamini autem in visceribus vestris: tanquam filiis dico: dilatamini et vos.

Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis! Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror?

Si talia ex corde ovibus diceres, quomodo inclinarent aurem! Quomodo corda aperirent! Quomodo monita reciperent! Quomodo mandata servarent! Quomodo post te currerent, in semitis meis!

Illi vere doctores sunt, qui, cum per rigorem disciplinae sint patres, per pietatis viscera matres esse norunt.

3. Esto ergo, fili, ovium mearum benigna mater, non simulatione oris, sed cordis sinceritate, sed operum exhibitione.

Ego pertransivi, benefaciendo, et sanando omnes; sequere me, fili.

Si videris ovem sub paupertatis onere gementem; onus ejus, pro posse tuo, humeris tuis, et eleemosinis cum mansuetudine leva.

Si infirmum inveneris sub aegritudinis pressuris desolatum; erige eum auxilio, juva consilio, refove consolatione.

Si occurrat alius sub peccatorum jugo curvus; quasi prodigi pater, cade super collum ejus, assume benignus ovem perditam, et lenitatis lacrymis lava.

Si pusillanimis venerit; excita eum

blandae monitionis stimulis: si rebellem et durum inveneris; sustine cum patientia, et tu firmior imbecillitates hujus infirmi porta.

Contradictiones ovium tuarum aequanimiter tolera.

Ne animum despondeas, si, cum seminaveris triticum, spinas metas: Ego, fili, a praesepio usque ad crucem, pro animabus salvandis laboravi non cessavi; et paucae tamen salvantur.

4. Ne volueris omnia vitia statim extirpare: zelus violentior in exscindendis vitiis, animas potius exacerbaret, et in malo obfirmaret.

Quaedam sunt potius lente dissuenda, quam impetu discindenda: quaedam toleranda ad tempus, et dissimulanda.

Quidam animi prius sunt artificio pietatis tentandi, quam acerbae correptionis pudore inutiliter suffundendi.

Recte dixit unus de Petri successoribus: sancta Ecclesia quaedam per fervorem corrigit, quaedam per mansuetudinem tolerat, quaedam per considerationem dissimulat, atque portat; ut saepe malum quod aversatur, portando et dissimulando, compescat.

Cura ergo passim, ut prius corda te-

neas per benignitatem, quam illa corrigas per disciplinam.

CAPUT LVII.

De robore animi.

1. Fili, accepisti Spiritum sanctum ad robur. Ne sis igitur pusillanimis.

Confortare, et noli timere, esto fortis in bello, et pugna viriliter.

Quantumcumque sis infirmus, memento quoniam elegi te, ut fortia quaeque per te confundam.

Quantumlibet dura cervice sint, quos debellare debes; memento, quoniam dedi frontem tuam duriorem frontibus eorum.

Etiamsi totus mundus contra te armaretur, ne paveas repentino terrore: Ego qui vici mundum, tecum sum, tanquam bellator fortis: idcirco cadent, et infirmi erunt.

2. Igitur, fili, si jam es ad regendas animas a me vocatus, si jam es ovibus meis legitime praepositus: noli oblivisci praeceptum meum; noli de promissione mea diffidere.

Vide quae vitia serpant, quae mala debeas fugare, quae bona procurare: et

cum prudenter perspexeris media quibus haec efficere poteris ; surge , et fac .

Dic audacter ipsis regibus : non licet . Dic proceri iniquo : tu es ille vir . Dic impio exaltato : vae tibi in malum ! morieris : transibo , et non eris .

Dic illicita de te exigentibus : obedire me oportet Deo magis quam hominibus .

Dic iis qui non recipiunt sermonem tuum : vae tibi Chorozain ! vae tibi Bethsaida ! Ecce excutio pulverem pedum meorum contra vos in testimonium .

Dic hypocritis : vae vobis parietes dealbati ! Dominus percutiet vos .

Dic iis qui non verentur indigne ad mensam meam accedere : foris canes : non licet mihi dare sanctum canibus .

Emitte sagittas et fulgura , ut quascumque dissipes iniquitates .

Contere potentum superbiam : debella divitum avaritiam : expugna immundorum corruptionem .

Frange inimicorum odia : comminue iracundorum furores ; intona contra carnalium voluptates .

Dissolve fraenum choreas et libidines : aufer libros impios , lascivosve : reprime scurriles cantus : reseca blasphemias .

3. Equidem inimicus fies , verum di-

cens ; movebit utique Satanas persecutiones contra te : at non es supra me , fili , si me persecuti sunt , et te persequentur .

Posses quidem , tacendo , tolerando , te a persecutione praeservare : sic sane hominibus placeres ; sed Christi servus non esses .

Recordare quod ille , cujus minister es , non venerit pacem mittere , sed gladium .

Ne torpeas igitur , ne manus conseras . Sume gladium spiritus , quod est verbum Dei , et noli parcere .

4. Et si absque synagogis faciant te ; et si veniat hora in qua velint te interficere dicentes :

Homo iste non quaerit pacem populo , sed malum : venite , comprehendite eum : deleamus de terra nomen ejus : obsequium Deo praestabimus , si mortem ei intulerimus :

Tu , fili , interea impavidus mane : sta ante Reges et Praesides ; et coram eis , et in carceribus , et in suppliciis , et in morte te constantem exhibe : ostendens quoniam verus sacerdos occidi potest ; vinci autem non potest .

5. Fili , omnia poteris in me te confortante .

Petrus sibi derelictus , ad vocem ancillae

me negavit: Petrus a me adjutus, crucem viriliter passus est.

Noli ergo pavere, dicens: homo sum; et quomodo talia sustinebo?

Scito, fili, quod in illa hora non tu ipse per te sustinebis, sed Spiritus meus sustinebit in te.

Dic ergo: utique, Domine, si necesse sit, dabo animam meam pro ovibus meis.

Scio; Deus meus, quod impossibilia non jubeas; sed jubendo adjuves; ut possimus quod jubes.

Promisisti, Domine, et facies: in adjutorium meum intendes; ad adjuvandum me festinabis.

Scio cui credidi, et certus sum. Utique ministerium meum implebo: mala non timebo; quoniam tu mecum eris.

6. Talem militem meum decet animi robur, fili. Euge, euge: ignaviam socordis Heli longe fac a te.

Noli tantum observare mala, et timidus gemere; noli moderatius reprehendere, dicens: fili, non est bona res ista quam facitis.

Noli mitius corrigere, timens ne irascantur, et insurgant. Increpa, fili, increpa duros dure.

Euge, euge: noli vereri, ne ferven-

tis zeli tui rumor ignavorum sacerdotum censuram et contumelias super te moveat. Non illis, sed mihi rationem reddes.

Euge, euge: ne respicias, neque a dextris, neque a sinistris.

Ne dicas: quid cogitabunt, quid dicent; si hoc malum impediam; si hoc bonum exigam? Tantum vide quid debeas facere. Consilium a sapiente perquire, deinde fac.

Verumtamen recordare te patrem esse debere, non tyrannum; pastorem, non lupum; medicum, non necatorem.

Memento ergo mansuetudinis et bonitatis, etiam in necessario zeli impetu: ne eradices, potius quam riges: ne dissipes, potius quam foveas: ne occidas, potius quam sanes.

Prudenter igitur age, fili: sed a prudentia carnis, quae inimica est Deo, omnino cave.

CAPUT LVIII.

De Prudentia, et simplicitate.

1. Esto prudens sicut serpens, et simplex sicut columba: ecce, fili, arma tua: per haec vinces.

Per sanctitatem, temetipsum salvabis: per prudentiam et simplicitatem, alios sanctificabis.

Per prudentiam, zelus fit ignis jugiter urens: et sine prudentia, fit turbo confringens.

Per prudentiam, mansuetudo fit unctio sanans: sine prudentia, fit venenum corrumpens.

Per prudentiam, eloquia praedicantis fiunt jacula penetrantia: sine prudentia, sunt verba per aërem volantia.

Per prudentiam, cuncta perficies fructuose: sine prudentia, cuncta fere facies inaniter.

Per prudentiam, potentes sapienter honorabis, et honorando aedificabis: sine prudentia, aut ipsis servies, aut eos offendes; sicque inimicos tuos, sancto ministerio multum nocivos efficies.

Per prudentiam, omnibus, quantum fieri potest, placebis: sine prudentia, vel pusillos per nimiam familiaritatem scandalizabis, vel peccatores per rudiorem austeritatem a te repelles.

Per prudentiam, ministerium tuum honorificabis; sine prudentia, vel per prolixitatem taedium, vel per festinationem indevotionem generabis.

Per prudentiam, venenum e cordibus confitentium feliciter extrahes, et virtutis semen mentibus suaviter inseres: sine prudentia vero, corda poenitentium claudes, mentibusque nauseam provocabis.

Per prudentiam, oves tuae mirae dirigentur et ordinabuntur: sine prudentia, dispergentur, vel in confusione manebunt.

2. O fili! postula a me prudentiam; melior est cunctis pretiosissimis, et omne desiderabile ei non potest comparari.

Pete assistricem hanc solio meo sapientiam, ut te in omnibus dirigat.

Quaere illam apud sapientes, et eme eam tibi; vade ad Ananiam; consilium saepius a sapiente perquire: ipse dicet tibi, quid te oporteat facere.

Non debes, fili, tibi ipsi facile credere: modicum lumen in te est; passione interdum moveris, et zelum putas.

Quaere potius a conscientioso viro instrui, quam tuas adinventiones sequi.

3. Esto simplex: in omnibus candidus et apertus appare; age sine fuco, loquere sine dolo.

Crede mihi: simplicitas est omnibus astutiis et industriis efficacior.

Voca oves ex corde, non ex ore solum; et venient ad vocem tuam.

Increpa peccatores, ex dolore et compassione, non ex impetu et violentia; tunc flebunt, tunc convertentur.

3. Excita pusillanimes, non quasi dominus, sed sicut aquila provocans pullos suos ad volandum; et pergent, et current.

4. O beata simplicitas! quae ex optimo corde procedis, et audientium, et videntium corda demulces; veni, et dominare in omnibus actibus meis.

Per hanc placebo tibi, Deus meus, qui amas rectos corde, et in bonitate animae sincerae tibi complaces.

Per hanc placebo hominibus, quibus per hanc cor paternum et ubera materna praebebo.

CAPUT LIX.

De Mansuetudine.

1. Fili: in mansuetudine ministerium tuum imple, et super gloriam hominum diligeris. Ego sum Agnus Dei: sufficit discipulo si sit sicut magister ejus.

Apostolos meos misi, sicut oves in medio luporum. Et quemadmodum, per mansuetudinem Agni morientis, mortem et infernum vici; sic, per mansuetudinem ovium, Apostoli mei mundum vicerunt.

Pastorem mansuetum dirigam, ego Dominus. Pastorem mitem docebo vias meas. Sicut fui cum Moyse quem in lenitate sanctum feci; sic ero cum illo. Per illum oves meae vocem meam audient; salvabuntur in unum, et oves et pastor.

2. Esto ergo, fili, pastor suavis et mitis. Ut non vituperetur ministerium tuum, esto mansuetus ad omnes.

Aequo corde et animo, nobilem et ignobilem; divitem et pauperem amanter suscipe; consilium et auxilium praebe; importunos, non severius, sed benigne tracta.

Ego venientes ad me non repuli; sed clementer excepi, et beneficiis cumulavi. Parvulos admisi: turbas importune irruentes docui: afflictos et pauperes consolatus sum: aegros visitavi, et sanavi: proditoris osculum non recusavi.

Disce a me habere viscera misericordiae; benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam.

Ne quemquam tristius quam opus est, aspicias: ne ullum verbum durius emittas: ne tribulatum responso asperiori contristes: ne in injuriantem irascaris: ne adversario dimittere recuses: vince in bono malum.

Omnia suffer, omnia sustine, neminem laede: cave a litibus, cave a contentionibus.

Praelatis tuis in omnibus prompte et fideliter obtempera: nihil unquam rebellionis, aut inobedientiae in corde retine. Servus enim Dei mansuetus reluctare nescit: quasi lutum in manu figuli, nunquam dicit: quid me facis sic?

3. Mirare, fili, et imitare Martini mansuetudinem. Nemo unquam ipsum vidit iratum, nemo moerentem, nemo vane ridentem: unus idemque fuit, semper coelestem laetitiam vultu praeferens.

Tantam adversus omnes injurias patientiam assumpserat, ut impune etiam ab infimis clericis laederetur; nec propter id eos, aut loco nunquam moverit, aut a caritate sua repulerit.

Nunquam in illius ore, nisi Christus; nunquam in illius corde, nisi pietas, nisi pax, nisi misercordia inerat. Plerumque etiam, pro eorum qui obtrectatores illius videbantur, solebat flere peccatis.

Vide, fili, et Salesium: omnibus omnia suavissime factus est; ut omnes lucrifaceret. Vide, et imitare...

4. Ne tamen obliviscaris, fili, te esse ducem et gubernatorem gregis mei. Non

tantum oves fovere debes, sed et curare, et idcirco corrigere quandoque, et increpare.

Vide ergo, ut nec ita mansuetus sis, ut districti regiminis jura perdas: nec ita districtus, ut omnem mansuetudinem benignitatis amittas.

Tene et mansuetudinem et disciplinam; ita ut, nec a compassione pietatis obdurescas, cum contumacem corrigis; nec disciplinae rigorem mollias, cum infirmos animos consolaris.

5. O Domine qui ipsa bonitas es et mansuetudo! quam pulcher es, dilecte mi, et decorus!

Ostende mihi faciem tuam; videam clementiam frontis tuae, dulcedinem oculorum tuorum, suavitatem labiorum tuorum, benignitatem manuum tuarum pulchritudinem gressum tuorum; et super haec, eminentem caritatem cordis tui.

Videam te Deum deorum: habeam te prae oculis meis semper; ut infinita amabilitate tua captus, mansuetudinem tuam induere studeam et imitari.

CAPUT LX.

De Dei amore.

1. Dilige, fili, Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua: hoc est enim primum et maximum mandatum, hoc fac, fili et vives.

Si autem non feceris, amen dico tibi non intrabis in gaudium Domini tui, non habitabis in tabernaculo ejus, non requiesces in monte Sancto ejus, non videbis faciem ejus.

Hoc credis, hoc doces; sed quid agis, fili? amas me? Pastor ovium mearum, diligis me plus his? Tune ardes, qui coeteros accendere debes? Nonne similis es dicenti et non facienti?

2. Quid dicam, Domine? Et quid respondebo tibi? Rem grandem dixisti mihi; in hac universa lex pendet.

O Domine! Ne intres in judicium cum servo tuo: da mihi quod jubes, et jube quod vis.

Doce me te amare; ut si sero saltem secure possim respondere: utique Deus meus, utique amo te.

3. O fili! Recte facis, si amorem meum

vehementer cupis. Etenim verissimum est quod si caritatem non habueris, quidquid aliunde sis, nihil es; quidquid aliunde possideas, nihil tibi prodest.

Interogavi te, fili, dixi tibi: amas me? et tu expavisti, respondere non ausus es.

Verumtamen, fili, iterum quaero: amas me? adhuc taces! Vidisti Petrum affirmantem se pio amore meo paratum esse et in carcerem et in mortem ire, eumdem brevi postea vidisti me negantem, et timuisti cum illo respondere.

Bene, fili: at si os tuum respondere non audeat; respondeant opera tua. Per haec cognoscam, ut cum Deum tuum diligas, non quidem verbo, neque lingua, sed opere et veritate.

4. O fili! Qui amicum vere diligit, ille frequenter de eo cogitat, cum illo libenter conversatur.

Et tu, amasne praesentiam meam tibi in mentem revocare? mecum in oratione conversari? Me in templo meo visitare? si hoc libenter facis, confide, fili; diligis.

5. Qui amicum vere diligit, ei intima cordis sui secreta amanter pandit, sine consilio ejus nihil agit, mensa ejus cum

gaudio assidet, suae assidentem cum jucunditate videt.

Et tu, fili, solesne mihi cordis tui miserias et dolores fidenter exponere, delicta tua et culpas cum simplicitate et moerore in tribunali libenter confiteri, consilium a me frequenter petere, et acceptum fideliter servare?

Solesne cum exultatione mentis ad Altare meum accedere, et per misericordiam erga pauperes me ad mensam tuam libenter admittere?

O fili! si hoc libenter facis, confide: vere diligis.

6. Qui amicum vere diligit ipsius votis accurate et prompte obsequitur, ab iis quae amico displicent caute se abstinet.

Et tu, fili, servasne fideliter mandata mea! Fugisne quasi a facie colubri peccatum, quod ego odio summo prosequor?

O fili! si hoc acurate facies, confide: vere diligis.

7. Denique qui ita amico addictus est, ut ei omnia sua praebere semper sit paratus, ut in omnibus studeat ipsi semper placere, ut animam suam pro ipso libenter daret, ille fili, amicum summe diligit: majorem caritatem habere non potest.

Et tu, num intentus es ad ea quae

mihi placita sunt, ut ea semper facias? num omnia propter majorem mei gloriam agis?

Num pronus es ad omnia relinquenda propter me? num paratus es ad mortem etiam pro me et iis quae mei sunt oppetendam:

Ita ut animam tuam potius dares, quam quocumque modo contra me peccare consentires: ita ut vitam tuam libenter impendas et superimpendas pro ovium mearum salute et sanctificatione?

O fili! si hoc facis, gaude et exulta: vere diligis, multum diligis.

8. At; fili, nemo potest duobus dominis servire. Et si tu libentius te terrenis cogitationibus, quam sanctae recollectioni tradis;

Si plus amas de temporalibus negotiis audire et loqui, quam de me et iis quae ad me spectant;

Si attentius et cautius negotia saecularia, quam sancta officia tractas; si plus gaudes mundanos visitare, quam templa frequentare;

Si plus ardes ad hominum convivia, quam ad Dei tui altaria; si plus curas de abundantia et deliciis domus tuae, quam

de mea in pauperibus miseria et egestate, de fratrum tuorum salute;

Si plus times morbos et angores, quam peccata; si plus doles de terrena jactura, quam de Dei tui offensa;

Si libentius laboras et sudas pro temporali lucro, quam pro vitiis superandis, animabus lucrandis, Deo tuo glorificando:

Si sic facis, fili, quid dicam de te? O fili! tu quidem dicis quia amas me: utique labiis me honoras, sed cor tuum longe est a me. O miser! o caece! o insipiens! non amas.

9. Quid igitur? Nonne ego sum Dominus Deus tuus, sanctus Israel Salvator tuus?

Quid, fili? Nonne cor tuum ad bonum amandum creatum est? Num vero ignoras quod ego sim summum et omne bonum?

Nonne qui perfecti sunt, qui benigni, qui justi, qui sapientes, qui pulchri, qui docti, qui mansueti, qui potentes apud homines ipsos amabiles et amandi dicuntur?

Num ignoras quod ego sim ipsa benignitas, justitia, clementia, potentia, mansuetudo, sapientia, pulchritudo, scientia, omnis denique perfectionis plenitudo?

Nonne bos ipse cognovit possessorem

suum? nescis tu quod ego sim creator tuus, Rex tuus, Pater tuus: qui te feci, qui te nutrivi, qui te servavi, qui mundum totum tuis necessitatibus paravi?

Nonne diligit bonum suum pastorem ovis inventa? nescis quod ego sim Pastor tuus optimus, qui te errabundam ovem per abrupta currens, quaesivi, inveni, levavi, et in ovile gaudens reduxi?

Nonne amat Captivus redemptus suum redemptorem? Nescis, fili, quod ego te redemerim, non auro, non argento, sed ipso meo sanguine?

Imo, fili: nonne ego Deus tuus te in ministrum meum, in Sacerdotem meum elegi, et sic supra ipsos reges terrae honorificavi et exaltavi?

10. Quid est quod debui tibi facere, et non feci? Cur igitur oblivisceris mei? quare non diligis me?

O ingrate! o miser! o caece! o insipiens! quare? Audi: quia temporalis es, quia conglutinatus est in terra venter tuus, nil respicis nisi mundum, et ea quae in mundo sunt.

Mundus te per fallacias suas decipit: illaqueatus es, captus, gravatus. O animalis homo! non percipis ea quae Dei tui sunt.

Sursum cor, fili. Dixi tibi: noli diligere mundum. Saltem nunc cessa mundum respicere, leva oculos tuos ad me: respice solem, et non placebit amplius modica lucerna quam amasti.

Contemplare summam Dei tui bonitatem: recogita innumera beneficia quae tibi Dominus tuus largitus est, et clamabis: vae tenebris in quibus jacueram!

Inveni verum lumen animae meae; inveni quem diligere debet anima mea. Deus meus ipse est requies mea.

Vere omnia vanitas, praeter amare Deum, et illi soli servire.

CAPUT LXI.

De praesentia Dei.

1. Ego, fili, coelum et terram impleo: oculi mei universam terram contemplantur: observo omnes semitas hominum, et vestigia pedum eorum indesinenter considero; quinimo corda et renes scrutor, et nulla me latet cogitatio.

Fuge, fili, quo volueris; non recedes a Spiritu meo, non elongaberis a facie mea.

Si ascenderis in Coelum, illic sum:

si descenderis in infernum, adsum.

Si ad extrema maris volaveris, illuc ipsa manus mea te deducet; illic dextera mea te tenebit.

Si in densissimis tenebris te absconderis, et obscurissima nocte te protegere volueris; atra nox illa in conspectu meo sicut dies illuminabitur, et tenebrae tuae lumen mihi erunt.

Fuge, fili, quo volueris; in me semper vives, in me moreberis et eris semper.

2. Hac cogitatione constanter armare, fili; et declinabis a malo et facies bonum.

Praesente humano judice, qui corpus occidere potest, fur non furatur: praesente patre austero, filius nequam non malignatur: praesente Domino, servus piger non otiatur. Et tu, fili, praesente Praelato, non auderes quod malum est perpetrare.

O fili! Si superioris praesentia, imo solus hominis aspectus iniquorum facinora cohibere valet; quale tibi fraenum erit Dei judicis fortissimi ac potentissimi praesentiae recordatio? Ejus, inquam, judicis, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.

Si vero ejusmodi cogitationem post posueris, et Dei cuncta aspicentis et judicantis immemor fueris; quid fiet?

Dealbato forinsecus pariete tuo, emundatis exterioribus calicis tui, securus manebis.

Id est: sufficiet tibi, si in vita tua nihil distincte observari possit, quod famam tuam obscurare valeat, aut malae agendi normae notam tibi imprimere.

Sic ergo eris in publico quidem et apparenter sobrius, castus, modestus, liberalis: ad munera ecclesiastica tempore statuto perges: debitis officiis fungeris.

Sed in occulto sensualitati, voluptati, avaritiae te dabis: sed in ministerio labiis me honorabis, corde inhonorabis: audies paenitentes, et de illorum salute non curabis: concionaberis, et de fructu non eris sollicitus.

Quia, cum homines nihil nisi faciem videant, satis esse putabis, quod faciem ornatam ipsis semper exhibeas.

O nefendissima, o turpissima hypocrisis, quam Dei praesentis immemoratio fovet, recordatio fugat ac interimit!

3. In omnibus igitur, fili, actibus tuis, memor esto Dei: et recto corde ipsi servies, et ab omni via mala pedes tuos prohibebis.

Memor esto mane : et oculos lucis aperiens animum tuum a nefandis cogitationibus praeservabis , et immoderatam corporis somnolentiam vinces .

Memor esto , cum ad orandum accesseris : et mentis tuae torporem superabis .

Memor esto , cum ad laborem perrexeris : et ignaviam naturae tuae feliciter oppugnabis .

Memor esto in sacro ministerio : et non audebis quaerere quae tua sunt ; sed Dei gloriam , et animarum salutem promovebis .

Memor esto in refectione : et sobrietatis limites non excedes .

Memor esto in animi recreatione : et dissolutas delectationes vitabis .

Memor esto in conversatione : et ori tuo sanctam pones custodiam , et aures tuas spinis sepies .

Memor esto in itinere ac ambulatione : et foedus , quod cum oculis tuis in baptismo et ordinatione pepegisti , servabis .

Memor esto in tentatione : et a malo liberaberis .

Fili , rogo te , tene breve et consummatum verbum : idcirco desolatione iniquitatis desolatae sunt animae , quia non

est qui praesentiam Domini recogitet corde.

Tene breve et utilissimum consilium: memorare semper Dei tui praesentiam, et non peccabis. Amen dico tibi: memorare.

4. Sed audi iterum, fili, et per Dei praesentiae memoriam, te in viam adhuc excellentiorem dirigam.

Utique si Dei tui memor fueris, non tantum a malo caute declinabis; sed bonum etiam ferventer facies.

Inclina aurem, fili, et excipe parabolam. Simile est regnum Coelorum homini regi optimo, qui habuit servum sibi dilectissimum.

Jusserat autem Rex, attente observari omnes servi illius labores et actus; ut quidquid ille servus pro Regis servitio fecisset, locupletissima remuneratione solveretur.

Servus vero ille de hoc Regis sui jussu praemonitus, et hac semper cogitatione stimulatus: Rex certe sciet, Rex largissime remunerabitur; quanta putas alacritate et zelo omnia quae potuit, pro Regis sui servitio praestitit.

Hic forte dicis, fili: o utinam fuissem ille servus! certe quodcumque manus mea

potuisset; instantissime pro tali Rege operatus essem.

Quid est, fili? nonne ego sum Regum omnium potentissimus, ditissimus et liberalissimus? nonne tu es servus meus, imo minister meus?

Nonne ego per meipsum cuncta quae pro me facis, video? nonne tibi promisi pro quolibet opere vel levissimo copiosissimam mercedem; et talem, qualem nullus Rex mundi dare potest?

Gaude igitur et exulta, ad omne opus bonum dicens: Euge, anima mea: fac bonum, fac ferventer, fac hilariter. Dominus videt, Dominus retribuet.

O potens stimulus, fili! O quam durus et lapideus ille esset, qui per hunc aculeum Dei respicientis, ad omnem virtutem non moveretur!

5. O Deus optime! o Pater amantissime, qui nos filios tuos congregare vis, quemadmodum gallina pullos suos sub alas!

Quam ingratus et nequam essem, si nollem, si confugere sub alas psaesentiae tuae renuerem! absit, absit;

Ecce ego, Domine, quia vocasti me. O quam bonum est mihi, esse sub umbra tua!

Jube ut per gratiam tuam tabernaculum meum in conspectu tuo immobiliter figatur.

Da mihi, Deus meus, ut sim semper tecum, sicut tu semper mecum es.

Da ut tu praesentiam mente et corde semper recolam, quatenus ea sit mea in tenebris illuminatio, in periculis salus, in formidine firmitas, in anxietate fiducia:

Quatenus per eam in te sic nunc vivam, et post mortem te facie ad faciem in sempiternum videam.

CAPUT LXII.

De Patientia.

1. Oportuit me pati, fili, et ita intrare in gloriam meam.

Idcirco in flagella fui semper paratus: idcirco fui in laboribus a juventute mea: idcirco fui vir dolorum, et sciens infirmitatem.

Te quoque, fili, oportet per multas tribulationes introire in regnum meum.

Idcirco dixi tibi, fili: vis venire post me? Tolle crucem tuam.

Vere, fili, in cruce totum constat; et si

aliquid melius, quam pati, fuisset: hoc utique tibi et factis, et verbis ostendissem.

Ergo tibi necessaria est patientia: ut voluntatem Patris mei faciens, reportes promissionem.

Ergo per patientiam currere debes ad propositum tibi certamen.

2. Si Christianus igitur tantum fores, dicerem tibi: sume, fili, scutum patientiae, et tecum semper habe.

Etenim vita Christiani, si secundum Evangelium vivat, crux est et martyrium.

Sed sacerdos es, dux illorum qui in hac cruce, in hoc martyrio vivere debent. Quanto plus ergo tibi necessaria est patientia?

Sine hac quomodo oves meas ad patientiam stimulabis? sine hac, quomodo labores, angores, sudores, adversitates sacri ministerii tolerabis?

Sine hac, quomodo contra mundum et Diabolum bellabis? Sine hac, quomodo contra irruentes potentias impiorum stabis?

Sine hac, certe non proficies sed deficies: non vinces, sed vinceris.

Sine hac tua brevi tepescet pietas, tuus frigescet zelus: non eris in bono,

nisi sicut vapor ad modicum parens, per quodlibet obstaculum brevi exterminandus.

Sine hac, mittes quidem manum ad aratrum, sed respicies retro et proinde non eris aptus regno Dei.

3. Per patientiam autem mihi crucifixo fies conformis: per hanc voluntati meae manebis semper subditus; quae placita sunt mihi semper facies.

Per hanc peccata tua mire expiabis: per hanc contra tentationes potens efficieris.

Per hanc eris verus minister meus, melior viro forti, et urbium expugnatore; in tribunali et cathedra indefessus, in periculis impavidus, in persecutionibus immotus.

Irridebunt te iniqui, et non confunderis; bellabunt adversum te et praevalebis.

4. O fili! recordare, nullam esse tribulationem, quam ego non miserim.

Quaecumque ergo irruat super te tribulatio, patienter sustine, quasi videres Patrem tuum coelestem propria te manu castigantem.

Gemet quidem forsan interdum infirma tua natura: hoc humanum est; sed murmurare illicitum,

Fili, sustine virilius adhuc scilicet, cum absoluta resignatione et plena indifferentia: ita ut non plus prosperitatem, quam adversitatem; abundantiam, quam penuriam; sanitatem, quam infirmitatem; pacem, quam persecutionem in corde sapias et cupias; dicens in omnibus: Domine, paratum cor meum: Domine, quid me vis facere?

Euge, serve bone, sustine adhuc perfectius, sustine cum laetitia: omne gaudium existimans, cum in tentationes varias incideris.

Sciens quod probatio patientiam operatur; patientia autem opus perfectum habet.

Sciens quod quo plus passus fueris, eo securius ad regnum meum pervenies,

5. En fili, via vera quae ad vitam ducit, porta per quam intratur in civitatem supernam.

Arcta via, inquies! angusta porta! durus sermo! sed certo multo durius erit audire illud extremum verbum: discedite a me, maledicti, in ignem aeternum.

Durus sermo, o fili! Si labor terret, merces invitet. Momentaneum et leve tribulationis aeternum gloriae pondus operatur.

Durus sermo ! At, fili, illum prior servavi. Vide quomodo in cruce pendens, os non aperuerim.

Durus sermo ! At illum Sancti mei servaverunt.

Vide, Apostolos, Martyres, tot sanctos Pontifices, tot Sacerdotes : vide quanta passi sint, quam fortiter tentati, quam graviter tribulati, quam multipliciter probati et exercitati.

Sequere, fili tantam tibi superimpositam nubem testium; sciens quia, si renuis cum illis pati, recusas cum illis coronari.

Durus sermo ! At quid non patiuntur pro mundo, et pro lucris temporalibus tot aulici, tot negotiatores : pro inani gloria, tot bellatores ; pro scelere ipso, tot iniqui ?

Æmulare, fili, aemulare, et erubesce non pati pro coelo ; dum isti sic patiuntur pro nihilo.

6. O Domine ! fiat voluntas tua. Hic ure, hic seca : paratus sum, et non sum turbatus.

Verum tu scis, Deus meus : spiritus meus promptus est, caro autem mea infirma.

Si supra modum crescat tribulatio, si diu perseveret, quomodo tolerabo ?

7. O fili! numquid non pater ego? Numquid non fidelis ego sum?

Certe non patiar te tentari supra id quod potes: sed faciam etiam, cum tentatione proventum, ut possis sustinere.

Ora, fili, et patere: videbis procul dubio suo tempore auxilium meum in te venire.

Ego scio tempus et modum juvandi, et liberandi te. Ne igitur formides, mihi te ex integro resignare.

Si diu perseverat tribulatio, inquis? O fili! dummodo gratia mea tibi non desit; quid curas? quid times?

Nonne modicum est et breve, quod transit cum tempore? Quid hoc ad aeternitatem? Expecta paulisper, et videbis celerem finem.

CAPUT LXIII.

De Scandalo.

1. Vae homini illi per quem scandalum venit! Expedit illi ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris.

Qualis igitur, fili, ultio imminet sacerdoti scandalum danti!

Quomodo punietur ille qui, cum ex officio debeat enarrare justitias meas, et assumere testamentum meum per os suum adversus filios Matris Ecclesiae, adversus oves meas scandalum ponit?

Veniet, fili, dies irae, dies magna et amara valde.

Tunc Angeli mei colligent omnia scandala, mittent ea in caminum ignis, et scandala sacerdotum in profundum camini projicient.

O Sacerdotes! vae mundo a scandalis vestris! sed amplius vae scandalis vetris ab ira mea!

2. Vere, fili, major est iniquitas sacerdotis scandalizantis peccato Sodomorum, quae subversa est in momento.

Audi quomodo insidietur mihi, quomodo bellet adversum me scelestus ille.

Populo meo eum praefeci, dicens: cura ut adorent me, et mihi soli serviant.

Ille vero exemplis suis servos meos a debito divellit obsequio: militiam meam deserere facit, Diabolique militiae adscribit.

Hinc inimici mei Satanae exercitus augetur: illeque multitudine fretus, audacius contra me insurgit et pugnat.

Quinimo perfidus ille sacerdos cum ille

in unum convenit adversus Christum Filium meum; ejus trophoea diripit, victoriamque conculcat.

Mundi principem Jesus ejecit foras: mundi principem super illos quos in peccatum per scandala sua trahit, regnare facit pravus sacerdos.

Ecclesiam suam immaculatam reddidit Jesus, sanguine suo eam lavans: membra Ecclesiae per scandala sua deturpat, et corrumpit praesbiter nequam.

Nondum finis, fili, Spiritui etiam gratiae contumeliam bellumque facit sacerdotis scandalum..

Effudi Paracletum hunc in filios adoptionis, ut maneret cum illis: isti vero, sacerdotis crimina imitantes, per supervenientem iniquitatem, Spiritum illum sanctum repellunt et ejiciunt: quoniam in corpore subdito peccatis habitare nequit.

Vide quomodo ille qui ignem Spiritus mei in cordibus enutrire debebat hunc ignem per scandala ipse extinguat.

O scelestissime Sacerdos! vae tibi, per cujus scandala talia mala veniunt!

3. Vae tibi, qui sine reverentia et pietate Altari meo assistis! Oves meas ad irreverentiam, ad incredulitatem, ad impietatem trahis.

Vae tibi, qui immundus es! Vae tibi, qui cum mulieribus familiaris es, et ut talis nosceris! Oves meas in inverecundiam, in illicita commercia ducis; et in voluptatum foedissimarum coeno exemplo tuo foves.

Vae tibi, qui avarus es, et congerendis pecuniis studes! Oves meas trahis in sacri Ministerii contemptum, cupidosque in idolorum servitute confortas.

Vae tibi, qui lites sine necessitate habes! Oves meas ad jurgia et dissentiones provocas.

Vae tibi, qui odia inimicitiasque in corde tuo, et in aperto opere nutris! Sanctae caritatis praeceptum exemplo tuo evertis, inimicosque in odio detines.

Vae tibi, qui superbus es, vanitatique deditus! Sacram humilitatem et modestiam tua agendi ratione convellis, ovesque ad periculosas vanitates stimulas.

Vae tibi, qui haberis ut vir commessationum amator! Legem poenitentiae quantum in te est, factis tuis subvertis; potatores, cunctosque secundum carnem viventes, in excessibus suis justificas....

Vae tibi, qui in coviviis amatoria cantare non vereris, aut cantantibus plau-

dis! Per hoc ovium ora omni scurrilitati aperis : per hoc es omnium lascivorum colloquiornm fautor.

Vae tibi, qui in offendentes te irasceris ; qui illos blasphemiis, maledictisque percutere non reformidas? Patientiam et mansuetudinem ab ovibus meis fugas; parentes et dominos ad furorem contra filios et servos allicis; impiosque homines in ira sua, in blasphemiarum usu confirmas.

Vae tibi, qui voluptatis imagines, probrosasque nuditates domus tuae parietibus affigere non erubescis; sicque omnium oculis exponens, quod nec nominari deberet inter sanctos; immunditiae fis ipse magister!

Vae tibi, qui de mane ad vesperam venationibus illicitis; inanibusque lusibus es deditus; docens per hoc, posse tempus inaniter consumi, et licitum esse homini in hac vita indesinenter delectari!

Vae tibi, qui erga parentes tuos, erga eos qui te genuerunt durus es! Pietatem et reverentiam filiorum evertis; audaciam et rebelliones eorum foves.

Vae tibi, qui domesticorum tuorum curam non habes; vitia eorum non reprehendis, non impedis! Per hoc, incu-

riam dominorum, liberiores mores servorum nutris.

4. O fili! absit a te, ut quemquam de meis sic scandalizes: quinimo cave, ne vel uni de pusillis meis scandalum praestes; non dico, per aliquod peccatum, verum ne per peccati quidem umbram.

Utique, fili, si talis vel talis licita esca fratrem tuum scandalizet, ne manduces talem in aeternum.

Habes quidem potestatem manducandi et bibendi: sed si in tali circumstantia, cum talibusve manducando et bibendo percutis conscientiam infirmorum, ne facias; in Christum peccares.

Habes potestatem sororem vel cognatam tecum habendi, talem ancillam retinendi, talem foeminam alloquendi: sed si in hoc percutis conscientiam infirmorum, ne facias; in Christum peccares.

Habes potestatem ea quae tibi debentur exigendi, consueta jura deposcendi: sed si in tali circumstantia, hoc faciendo, percutis conscientiam infirmorum, ne facias; in Christum peccares.

Habes potestatem de regulis in sacro poenitentiae tribunali servandis cum sapientibus amicis tractandi: at si praesens sit aliquis cujus infirmam conscientiam di-

scussio haec offenderet, ne facias; in Christum peccares.

Habes potestatem cum amicis tuis laetandi: at si talis, talisve recreatio conscientiam infirmi percutiat, ne facias; in Christum peccares.

Habes potestatem hoc et hoc narrandi, sic et sic loquendi: at si in tali circumstantia narratio aut locutio posset, per umbram aut odii, aut detractionis, aut libidinis, aut cujuscumque vitii, conscientiam alicujus infirmi percutere, ne facias: in Christum peccares.

Habes potestatem ignavum et dissolutum inopem sine eleemosina repellendi: at si id faciens, immisericordiae umbra alicujus infirmi conscientiam percutis, ne facias: in Christum peccares.

Habes potestatem talem peccatorem durum et indocilem acriter reprehendendi: at si id faciens coram tali infirmo, irae umbra conscientiam ejus percutis; ne facias: aliam occasionem expecta.

Quaedam fiunt in ecclesia pietatis exercitia quibus interesse forsan non teneris; at si plebs conveniat, et absentia tua infirmorum conscientiam percutiat, adesto; si abesses, fratrem scandalizando in Christum peccares.

5. Esto igitur in omnibus prudens sicut serpens ; ne vel unum de pusillis scandalizes .

Satage e contra , ut in omnibus sis exemplum fidelium : in verbo , in conversatione , in caritate , in fide , in castitate .

Insta in illis : hoc enim faciens , et teipsum salvum facies , et eos qui te vident .

CAPUT LXIV.

De Castitate .

1. Fili , fili : ecce Satanas expetivit te , ut cribraret sicut triticum .

Omnes quaerit devorare , sed sacerdotes meos prae caeteris : isti sunt escae ejus electae .

Omnes tentat , sed sacerdotes meos prae caeteris : quia , si peccent , major mihi fit injuria , majus Ecclesiae meae damnum imminet , majus plebi meae scandalum datur .

Sacerdotes ad omnia vitia conatur incitare ; sed ad vitia castitati contraria praesertim : quia graviora sunt , foediora , infamiora , sacrilega .

Vigila itaque , fili , ne fur veniens , the-

saurum, quem in vase fragili portas, a te auferat.

Teipsum castum custodi: omnis immunditia, aut turpitudo, aut scurrilitas nec nominetur a te, sicut decet sanctum.

2. Foris canes et impudici, de sanctuario meo.

Sacerdos mihi consecratus est: sanctus meus est: non videbit corruptionem.

Corpus meum conficit, contrectat et sumit: erit igitur sine macula; puritatem cordis et corporis tenebit.

Si impurus sit, et impudicus, sanctuarium meum polluit, corpus meum contaminat; reum se, prae caeteris, corporis et sanguinis mei reddit; plus caeteris omnibus judicium sibi manducat et bibit.

Qui olim legem Moysis irritam ducebat, sine miseratione debebat mori: quanto putas eum deteriora mereri supplicia, qui me sic conculcaverit!

3. Superbos, ambitiosos, avaros, iracundos, mei abnegatorem, imo et proditorem inter Apostolos meos patienter tuli: impudicitiae vero notam in ipsis non toleravi. Odio mihi est prae caeteris haec iniquitas.

Fili, fili; non permanebit in te Spiritus meus, si caro sis: delebo te a fa-

cie mea, si corruperis viam tuam.

Sodoma et Gomorrha factae sunt exemplum ignis tibi in aeternum praeparati, si flammis immundis cor tuum ardere permiseris.

4. Sed tu quis es, fili? Sanctus diceris, fortis in virtute praedicaris, sapiens nominaris: verum quid es in corde; in secreta mente? Quid fecisti in occulto?

Facile perditur castitas, nisi in ejus conservationem accuratissime vigiletur.

Tu igitur quomodo agis cum tentationibus? Numquid cogitationes repellis, desideria comprimis?

Numquid pepigisti foedus cum oculis tuis, ut nequidem cogitares de virgine? Nonne è contra liberius conspicis virgines, et scandalizaris in decore earum?

Numquid abhorres ab hominum impudicorum consortiis et colloquiis? Nonne e contra cum ipsis risum incaute misces?

Numquid occasionis periculum fugis? Nonne e contra cum sexu diverso nugari, quin et per amatoria blandiri amas?

5. Quid de domestico tuo statu? Nonne periculose tibi ministrat, cujus vultum frequenter attendis?

Nonne junior est, et infra sanctam pru-

dentissimamque regulam? O periculum! si non times illud, in illo peribis.

Quomodo castus manebis, nisi inter te et ancillam tuam semper maneat Dei praesentiae, sancti timoris, cautissimaeque vigilantiae murus; nisi sacra modestia omnes tuos aspectus, verba, gestusque dirigat; nisi tua religiosa autoritas ipsam ancillam in decenti semper gravitate contineat, inutiliaque colloquia reprimat.

O fili! attende tibi: ceciderunt Davides, Samsones, Salomones.

O periculum! Experto crede, dixit Augustinus; coram Deo, non mentior: cedros Libani, duces gregum, sub hac peste cecidisse reperi, de quorum casu non magis suspicabar, quam Hieronymi, aut Ambrosii.

Quid adhuc, fili, de virginibus et junioribus viduis quas dirigis? Nonne sub specie pietatis et intsructionis latet venenum familiaritatis et amoris?

Time, time: non es sanctior, fortior, sapientior illis qui jam ceciderunt: time peccati aculeum; time concupiscentiae sibilum: time pestilentiae fomitem.

6. Si tibi nihil conscius sis, fili, gratias mihi ex corde redde: nullus enim continens esse valet, nisi ego dederim.

Si vero cor tuum te reprehendat ; plorans plora , et lacrymae copiosae maxillas tuas rigent .

Dole , confundere : quam granditer deliquisti , tam granditer poenitentiam age . Redi ad patrem : te contritum misericorditer suscipiet .

Exurge , et sine mora exurge : projice a te idolum , expelle feminam .

Hic opus , hic labor est , inquies , fili : verum Regnum Coelorum vim patitur , et violenti rapiunt illud . Amen dico tibi : non extingues flammas , nisi ignem auferas.

Carnem afflige : ne nutrias illam delicatius , aut abundantius ; sentires enim illam contumacem , et contra aculeos illius castitatem tueri non posses .

Sensus omnes comprime : otium , ut pestem , fuge : gratiam postula : Mariam invoca .

Retro ultra ne respicias : vetus fermentum in animo ne amplius admittas : ut sis , sicut esse debes , azymus et castus .

CAPUT LXV.

De Ambitione .

1. Fili , ad quid de coelo descendi ? Cer-

te non ad suscipiendum in terra regnum; regnum enim meum non est de hoc mundo. Ad quid ergo? Ut salvum facerem quod perierat.

Et tu, ad quid venisti? Ut post me piscator hominum fieres: non ut ad dexteram, vel sinistram meam in regno Ecclesiae meae sederes;

Ut omnium servus fieres, omnibus ministrares; non ut primas cathedras in synagogis occupares.

Quid dixisti ingrediendo Sanctuarium? Nonne hoc, fili? Dominus pars haereditatis meae, et calicis mei.

Si Dominus, ergo non gloria, non celsitudo, non dominatio pars haereditatis tuae sunt.

2. At, fili, Satanas, serpens antiquus, nondum mortuus est. Venit adhuc inter filios meos: et, cum radicem omnium malorum, cupiditatem et superbiam esse sciat, concupiscentiam gloriae et honoris omni modo nititur in sacerdotibus accendere.

Super pinnaculum templi ducit eos: et inde ostendens illis omnia regna Ecclesiae et gloriam eorum; Videte, inquit, quantum possitis exaltari. Anhelate ergo, et eritis sicut dii.

Certe quod tales et tales obtinuerunt, vos potestis obtinere.

Talis locus, talis cathedra vos non minus decet, quam hos et istos: tali vel tali munere non estis plus illis impares.

Eja, episcopatum desiderate: sane bonum opus est. Lucerna manere non debet sub modio: elevamini super candelabrum.

Per hanc tentationem multi trahuntur: jam humilia et communia munera despiciunt incauti illi sacerdotes.

Brevi ardent, anhelant ad summa. Modo patronos quaerunt: sollicitant, currunt, omnia commovent, ut altum quem sapiunt, locum attingant;

Obliviscentes, quod verus discipulus locum non eligit, sed a Domino ad locum eligitur; nec sumere praesumit sibi honorem, nisi vocetur a Deo, tanquam Aaron.

Sicut ego, fili, non memetipsum clarificavi, ut Pontifex fierem; sed ille qui locutus est ad me: Filius meus es tu.

3. O desideria nociva! o hebetudo et duritia cordis eorum! Volunt omnibus esse majores, nemine minores: omnibus praeesse, nulli subesse: omnibus imperare, nemini ministrare. Quae sua sunt

quaerunt, non quae Jesu Christi.

O quanta vanitas, sic honores ambire, et in altum statum se extollere! Nam quantumlibet exaltati fuerint, non satiabuntur.

O quanta insipientia, concupiscere gloriam quae tam cito transit!

Ubi enim sunt, fili, ubi sunt illi domini et magistri quos bene novisti, dum infulis decorati fulgebant? Heu! jam eorum decus alii susceperunt.

O quanta miseria, illos aemulari, qui potentes sunt et excelsi: parem sortem desiderare, et aeternam celsitudinem oblivioni tradere!

O quam brevis gloria, quae ab hominibus datur et accipitur!

O quam fallax gloria; quae hominem vehementer agitat, ubi illam desiderat; et quae semel obtenta minus placet, sed ad majorem adhuc impellit!

O formidanda gloria, quae sacerdotem plus exaltatum, majori casui et strictiori Dei judicio exponit!

Veniet, veniet haec tremenda judicii hora. Et tunc, quot videbuntur cum rubore novissimum locum tenere, qui nunc cernuntur primos accubitus eligere, et in primo loco discumbere!

Quod tunc videbuntur humiliari, qui nunc se exaltare cernuntur!

4. O fili! Quaere honorem meum, quaere gloriam meam, quaere utilem laborem.

Ne aspicias terrena: transeunt enim, nec sunt locus requietionis tuae.

Et si usque in hodiernum diem in honoribus vixisses, quid tibi prodesset, si jam mori in instanti contingeret?

Quaere voluntatem meam, et beneplacitum dispositionis meae.

Ita libenter esto minimus, sicut aliquis optaret esse maximus.

Ita esto pacificus et contentus in novissimo loco, sicut in primo.

Ita libenter mane despicatus et abjectus, nullius quoque nominis et famae, sicut caeteris honorabilior, et major in mundo.

Voluntas mea, et amor honoris mei ita dominetur in te, ut plus te consoletur, magisque tibi placeat, quam omnia beneficia tibi data vel danda.

Amen dico tibi, fili, relinque te, et invenies me: sta sine electione, et lucraberis semper: resigna te sine exceptione, non tibi providens, sed mihi confidens.

Resigna te perseveranter, non sequens illos qui primo totum offerunt, sed postea tentatione pulsati, iterum fiunt proprietarii, cupidi, ambitiosi.

O fili! sine me agere tecum quod volo. Ego scio quid expedit tibi: ego, qui dispono omnia suaviter, unumquodque membrum ponens in corpore Ecclesiae, sicut volo.

Certe major est sollicitudo mea pro te, quam omnis cura quam tu pro te gerere potes.

CAPUT LXVI.

De Avaritia.

1. Ego filius hominis, non habui, ubi caput reclinarem: ego, fili, egenus propter te factus sum, cum essem dives; ut mea inopia tu dives esses.

Et si tibi dicerem, fili, vade, vende omnia quae habes, et da pauperibus: certe facere deberes.

Verum tibi parco: austeriora pro me servavi; tibi autem mitiora praecepi.

Humanum dico, propter inrfimitatem tuam; ne forte abeas tristis, sicut ille juvenis, quem ad paupertatem vocaveram.

Audi igitur, fili: noli thesaurizare tibi thesauros super terram; non enim potes mihi servire et mammonae.

Avaritiam, ut impiissimum scelus, fuge: est enim illa idolorum servitus; est omnium malorum radix.

Divitiae si affluant, noli cor apponere: sed e contra ex corde renuntia omnibus quae possides; ita ut temporalia, si possideantur a te, te non possideant; sed habeantur a te, non ut congreges ea, verum ut distribuas in tempore opportuno.

Si vero divitiae non affluant, noli tristari, sed gaude: beati pauperes. Habens alimenta, et quibus tegaris, his contentus esto: nihil intulisti in hunc mundum: haud dubium quin nec auferre quid possis.

Quo minus habes, eo liberior es, eo expeditior ad currendum post me; in morte mundum facilius relinques; in judicio minus timebis. Non enim dicam tibi: vae tibi diviti; neque sic loquar: fili, recordare quia recepisti bona in vita tua.

2. Voco te, fili; responde mihi. Saeculo renuntiasti, me in parte haereditatis tuae sumpsisti: nonne tamen vis dives fieri, et volens jam incidisti in laqueum, et desideria multa nociva, quae

mergunt homines in perditionem ? Nonne aestimasti quaestum esse pietatem ?

Quid quaeris in m inisterio ? Nonne lac et lanam, et non salutem ovium ambis ?

Responde mihi, redde raiionem. Nonne pauper eras in saeculo, et dives factus es in clero ?

Oves errabant, nummi parabantur: nonne oves reliquisti et nummos traxisti ? Numera oves tuas; numera nummos: quid pro his, et quid non pro istis fecisti ?

Nonne parvuli petebant panem, et non fregisti ? dum possessionibus tuis jam fertilissimis pinguedinem prodigo labore addebas, et census tuos, cum omni diligentia, multiplicabas.

Nonne animae infirmabantur, et non aspexisti ? dum pecora tua cum omni attentione foveri curabas.

Nonne lupus devorabat oves meas, et tu non latrasti ? dum diu noctuque vigilabas ut non sineres a fure perfodi domum tuam.

Nonne templum meum in paupertate sorduit ? dum domus tua auro redundabat.

Nonne mensa mea deserta fuit ? dum tua negotiatoribus circumdabatur.

Nonne pauperes mei prae egestate defecerunt ? dum arcae tuae nummis replebantur.

3. Quid cogitas? Quid meditaris? Nonne astutias ad vendendum et acquirendum? et non industrias ad salvandum et sanctificandum.

Ubi est cor tuum? nonne ubi est thesaurus tuus?

Nonne loculos habes; et me, non pro gloria Patris, sed propter vilissimi pretii finem, tradis cuique petenti?

Nonne a populo tuo, non pietatem, nec sacras virtutes exposcis; sed debita cum imperio extorques?

Nonne diviti parcis in tribunali et cathedra, ne fontem hujus uberem tibi claudas?

Nonne tibi ipsi durus es, victum et vestitum decentem tibi recusans; non humilitatis et mortificationis amore, sed turpissimae cupiditatis ardore?

Nonne diceris a populo tuo hydropicus semper bibens aurum, et nunquam satiatus? Sinus semper plenus, et nunquam lactans?

Morieris, fili, et non vives; aurum avaritiae tuae aeruginatum relinques, et clamabit contra te in novissimo die.

Pretium sacrilegiorum, sanguis viduarum et orphanorum, vita pauperum te in conspectu meo accusabit: audies et ira-

sceris, dentibus tuis fremes et tabesces; desiderium tuum insanum peribit.

Clamabit etiam in hoc mundo aurum tuum contra te: scandalum plebis meae ex arca tua prodibit: et maledicet tibi populus a vexationibus tuis liberatus, dicens: o Pastor vorax! pecunia tua tecum sit in perditionem.

4. O Lazare quatriduane, jam foetens in sepulchro divitiarum tuarum! Ecce fleo super te: vide lacrymas meas, audi vocem meam.

Ecce praecipio tibi: veni foras, tolle lapidem, frange arcam, solve vincula; nolo ut moriaris, sed ut convertatis, et vivas.

Aurum tuum sparge, et da pauperibus: fac tibi amicos de mammona iniquitatis: relinque turpe lucrum.

O! qui Judam imitatus es in avaritia; ne sequaris illum, usque ad laqueum.

O avare! O incircumcise corde et auribus! Quamdiu Spiritui sancto resistes? Usquequo dices: affer, affer?

Forsan castus es, sobrius es, doctus es, humilis es, pius es; et in illusione tua te credis sanctum; verum avarus es, et peribis: morieris cum divite, et cum illo in inferno sepelieris.

CAPUT LXVII.

De bonorum Ecclesiasticorum Dispensatione.

1. Cui multum dedi, multum quaeram ab eo; et cui multum commendavi, plus petam ab eo.

Veniet una hora quae nota est mihi: tunc apparebis coram me, fili, et de talentis acceptis interrogabo te.

Ecce tibi concredidi census et possessiones, mihi a fidelibus oblatas; ut Altari deserviens, de altari vivas.

Verum cave, fili, ne abutaris istis, ne de Altari luxurieris: vota sunt fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum, usibus ecclesiasticis, et fratribus juvandis tantum impendenda.

Sume igitur victui tuo decenti necessaria; quod autem statui tuo, honestae et decenti sustentationi superfluum est, ne vane consumas; ne ad augendos consanguineos, familiaresve tuos adhibeas; damnationem enim cum Filiis Heli percipere.

2. Quo ibitis ergo, et quo a facie mea fugietis, vos qui ecclesiae facultates ad luxum et vanitates profunditis?

Quo ibitis vos, qui de bonis meis honorati inceditis, et mihi honorem non defertis?

Qui meretricio nitore in regio apparatu ambulatis; qui in annulis et supellectilibus aureis, altari meo plus fulgentibus, gloriamini;

Qui in commessationibus, et exquisitis potibus gaudetis; qui in cythara, lyra et tibi jucundamini; qui in cubilibus pretiosis lascivitis;

Qui in pigmentariis delectamini; qui in omni deliciarum genere abundatis; qui bona mea sic facitis servire in luxuriis vestris.

Quo ibitis a facie mea, quando nudi et famelici contra vos clamabunt: nostrum fuit quod effudistis; nobis crudeliter substraxistis quod inaniter expendistis: non pavistis nos; nos occidistis.

3. O filii Heli! filii Belial; tauri pingues obsidentes me; audite me.

Dixerunt Judaei: non licet nobis pecuniam mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est: et emerunt ex illa agrum in sepulturam peregrinorum.

Vos autem inimicis meis pejores, de pretio sanguinis mei, vanitatem et voluptatem emitis; et sic impenditis in scan-

dalum Christianorum, in mortem animarum, quod datum est vobis in subsidium indigentium.

Propter hoc, requiram gregem meum de manu vestra; propter hoc, cessare faciam vos, ut ultra non pascatis gregem meum, nec amplius pascatis vosmetipsos: liberabo gregem meum de ore vestro, et non erit ultra vobis in escam.

4. O fili! si multa habes de altari; si ultra decentem victum et vestitum: redde Ecclesiae, redde pauperibus, quae ipsis debes.

Recordare te esse constitutum super familiam meam, ut des illis in tempore tritici mensuram.

Memento tot Sanctorum, qui praeceptum, non tantum adimplentes, sed sanctissime et generosissime superantes, non solum superflua, sed et necessaria sua pauperibus disperserunt.

Hi habent nunc thesauros in coelo, ubi neque aerugo, neque tinea demolitur; ubi fures non effodiunt, nec furantur.

Hi habitant, non in splendoribus terrenis et regiis, sed in aeternis Sanctorum splendoribus.

Hi amicti sunt, non purpura et bysso, sed gloria, et fulgore perpetuo.

Hi inebriantur, non de sanguine uvae, sed ab ubertate domus meae, et torrente voluptatis meae potantur.

Quorum vides exitum conversationis, imitare fidem.

CAPUT LXVIII.

De Eleemosyna.

1. Veritatem dixi tibi, fili: et scio quia tu credis mihi. Utique sum in paupere pauper, in infirmo infirmus, in petente petens, in dolente ejulans.

Quoties uni de minimis meis benefacis, mihi ipsi benefacis: et quoties illis non facis, nec mihi facis.

Certe confido quod, si egenum me videres a te auxilia petentem, statim et absque mora me juvare festinares.

Fidem habe, fili, sicut granum sinapis, et quando fratrem tuum in aliqua necessitate sollicitantem te videris, dic intra te: ecce Jesus ipse stat ad ostium meum et pulsat.

Beatum me cui datum est super talem pauperem intelligere, ipsi Deo meo subvenire!

O anima mea! quomodo caritas Dei

manebit in me, si viscera mea clausero ab eo?

O anima mea! melius est certe nostra in sinu ejus abscondere, quam in terra thesauros auri recondere.

Veni igitur: demus, et foenerabimur Domino. Veni: multum habemus, abundanter tribuamus; exiguum nobis est, exiguum etiam libenter impertiri studeamus.

Veni, et frangamus Jesu esúrienti panem. Veni, et Jesum egenum vagumque in domum nostram inducamus. Veni, et Jesum nudum operiamus.

O anima mea! praeceptum nobis est ut manum sic aperiamus.

2. Peccasti, fili. Vis mundari? Da quod superest eleemosynam, et ecce omnia munda sunt tibi.

Hoc est verbum meum, et non revertetur ad me vacuum. O si hoc bene ponderares, quanta liberalitate dares pauperibus!

Te quasi a me derelictum sentis: me contra te iratum experieris. Vis reconciliari? Vis Deum tuum flectere, placare? Da eleemosynam, et ipsa exorabit pro te ab omni malo; et ego propitius ero?

Dies mali sunt: tentatio te vexat; persecutio contra te movetur: grassatur calamitas. Da, fili, da eleemosynam; et in hac die mala liberabit te Dominus, et conservabit et vivificabit, et beatum te faciet in terra, et non traderis in manus inimicorum tuorum, et opem copiosissimam feret tibi Deus tuus.

Vis speciales gratias, pretiosiora dona e coelo tibi et gregi tuo obtinere? Da ét dabitur tibi: da liberaliter; et mensuram bonam, et confertam, et coagitatam effundet Dominus in sinum tuum:

Vis salvus fieri? Da eleemosynam, et ipsa te faciet invenire misericordiam et vitam aeternam.

Utique, fili, in Judicio certe audies haec dulcissima Salvatoris tui verba: Veni, benedicte Patris mei, posside paratum tibi regnum a constitutione mundi; quia esurivi, sitivi; et cibum et potum mihi dedisti.

3. Novit, fili, novit inimicus tuus Satan, quod omnia haec vera sint.

Scit quoque verissimum esse quod, si eleemosynam facere nolueris, magna te immineat in praesenti saeculo gratiarum defraudatio, et ultio maxima in futuro.

Scit me in ira mea ad duros et immi-

sericordes fore dicturum : discedite a me, maledicti, in ignem aeternum : quia indigui, et vos me non iuvastis. Ideoque omni quo potest modo viscera tua claudere conatur.

Pauca habes, inquit : si dederis, minus habebis. Tanto labore acquisisti, et uno momento perdes.

Melius est tibi accipere, quam dare. Hodie habes unde vivas, sed in posterum quid habebis?

Et si grando agros tuos vastaverit? Et si ignis domum tuam consumpserit? Et si infirmitas te depresserit? et si ad inanem senectutem pertingas? . . . Provide tibi in futurum.

Et quis est ille qui a te petit? Mendicus. Utique : at est ne vere pauper? Forsan plus habet quam tu : forsan egestatem simulat. Piger est : laboret, et non indigebit.

Quomodo faciunt alii tam multi, qui nihil aliunde habentes in sudore tamen vultus panem necessarium sciunt lucrari?

Laboriosis eiusmodi egenis subvenire melius est. Horrea tua copiae frugum tuarum non sufficiunt : impende eas ut ea augeant, domum tuam ornent, hortos tuos in voluptatis paradisos mutent. Sic illis et tibi simul providebis.

4. Vide, fili, vide inimici insidias: vide quomodo nititur avertere faciem tuam a paupere et orphano, quem commendavi tibi:

Vide quomodo conatur efficere ut in scandalum plebis meae tu Levita, tu Sacerdos durus pertranseas, dum forsan quidam Samaritanus benigne dabit.

O Dilectissime! quasi a facie colubri fuge hunc inferni serpentem.

Forsan verum est, fili, quod pauca habeas. Verumtamen moriendo non omnia sumes. Et si deinde aliquid de his paucis elargiendo depauperareris, memento quod ego, cùm essem dives, propter te egenus factus sum.

Forsan quod habes multo labore acquisiisti. Sed, fili, si tanti tibi constitit, cura ut in aeternum illud retineas. Nescis quia dando in terra thesaurizas in coelo?

Melius est tibi, inquit Satan, accipere, quam dare. Contrarium docui ego, fili. Et vere qui accipit nunc, perdet in morte quod acceperit: et qui dat nunc, inveniet in morte quod dederit.

5. Provide tibi, dicit inimicus, provide fami, provide necessitatibus, provide senectuti. Et ego dico tibi: provide

animae tuae provide saluti, provide ae-
ternitati.

Quantumlibet tibi in terra provideris, non poteris unum diem vitae tuae addere: sed potes, fili, beatam aeternitatem lucrari, et multos in ea felicitatis gradus juxta tuarum eleemosynarum copiam promereri. Haec est, fili, utilissima, haec est sapientissima providentia.

Noli, noli sollicitus esse, dicens: quid manducabo? et quo operiar? Ego scio quod his omnibus indigeas. Mihi cura est de te.

Num vidisti virum misericordem derelictum, aut in senectute panem quaerentem? Modicae fidei, quare dubitas?

6. Sed forsan mendicus iste non eget. Quid tunc? Numquid, si non egeret, tu benefaciendo decipereris? nequaquam.

Ille quidem tibi mentiri potest: at tu certissime ipsi dando bonum opus operaris in me.

Sed forsan, fili, ille de quo dubitas, est verus Lazarus, verus pauper in vera et gravi necessitate.

Et si tu propter ingestam tibi ab inimico levissimam suspicionem eleemosynam tunc neges, in meipsum certe pec-

cas . Tutiorem igitur partem elige : manum aperi .

Laboret , inquit Satan , et non indigebit . Utique , fili ; sed ego dico : da tu et salvaberis .

7. Dicit tandem inimicus : vide tot laboriosos pauperes , tot opifices in egestate positos : impende, conduce eos et solve . Isti auxilia merentur .

Utique , fili , benefacis , si habens opus pauperiores opifices assumis : et hoc etiam est misericordiae beneficium . Verum haec oportuit facere , et illa non omittere .

Quando pauperes ad opera tua eligis et solvis , juvas quidem illos , sed nihil das nisi quod justum est , nihil perdis . Pecuniam tradidisti , sed opus accepisti .

Aemulare , fili , carismata meliora . Frange , frange gratis esurienti panem .

8. Tandem summopere cave , fili , a seductrice Diaboli ultima suggestione .

Dicit tibi : pauperes opifices multi sunt, laborem quaerunt . Ampliora conde horrea , magnifica domum tuam , hortos in voluptatis paradisos muta : laborabunt , lucrabuntur , vivent .

Vide quomodo te vel etiam divitem velit per hoc ad angustias reducere , ut eleemosynam facere ultra nequeas .

Expensas maximas tibi proponit. Tu thesauros tuos dissipabis, et pauperem et infirmum laboris incapacem juvare ultra non poteris.

Audi me, fili: esto tibi parcus, ut caeteris possis esse liberalis.

9. Sed attende adhuc et observa, quomodo sub caritatis et pietatis specie te inimicus ad vanitatem et superbiam inducat.

Quid tibi proderunt illa ingentia horrea, haec ampla splendidaque aedificia, isti voluptatis paradisi, quae tibi proponit?

Talia, fili, ministrum meum non decent. Tu terrena contemnere debes, non augere, non multiplicare.

Tu non concupiscibilia hujus saeculi, sed me Deum tuum in partem haereditatis tuae assumpsisti.

Tu non divitis aut potentis nomen debes tibi conciliare; sed sancti, sed modesti, sed mortificati, sed abnegati, sed mortui et misericordis famam.

10. Semina igitur, ut metas. Da superflua tua pauperibus, da benigne, da hilariter: hilarem enim datorem ego diligo. Da praesertim fidei domesticis, et justioribus pauperibus,

Da, non ut videaris ab hominibus, et sic in tempore mercedem accipias; sed coram me, sed propter me in abscondito: et Pater meus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

Et populus meus, qui caritatem tuam non ignorabit, venerabitur te, diliget te, confidet in te, audiet te, obediet tibi.

Et tu tandem morte aliquando praeoccupatus, in refrigerio eris: justitiaque tua manebit in saeculum saeculi.

CAPUT LXIX.

De Temperantia.

1. Fili, ad quid venisti? Certe, ut quaeras regnum meum, caeterosque in illud trahas, et tandem cum ipsis aliquando possideas.

Verum, fili, regnum meum non est esca et potus; neque intrabit in illud qui secundum carnem vixerit.

Itaque sobrius esto, et carnis curam ne feceris in desideriis tuis.

O fili regni! si scires quale sit coelum, ad quod vocaris, et ad quod tendis: certe ad terréstrium deliciarum contemptum moveri non indigeres.

Certe sorderet tibi quam maxime tellus, ét omnia concupiscibilia ejus; certe necessitates tuas vix ferens, ex corde clamares:

O utinam non indigerem comedere nec bibere! Utinam non essent mihi istae necessitates, sed tantummodo spirituales! Infelix ego homo! Quis me liberabit de corpore mortis hujus?

2. Verum, fili, ambulas per fidem, et non per speciem: nondum capis bona quae in cor hominis non ascendunt.

Et eheu! in carne tua mortali portas, et usque ad extremum vitae halitum portabis legem sensuum, legis mentis tuae repugnantem.

Cave, fili, ne tui dominetur, sed sub te sit appetitus tuus; et tu dominare illius: idcirco bella, et continuo bella contra legem peccati.

Illa perdidit Adamum, et omne genus humanum in paradiso: illa detrusit divitem splendide epulantem in infernum.

Natura sustentanda est: necessaria sume: sed quaerere quae magis delectant, aut in usu excedere lex sancta prohibet: nam alias caro adversus spiritum insolesceret.

Vigila, vigila: trahit enim sua forti-

ter quemque voluptas, et si refraenatione non uteris, brevi ultra sobrietatis et temperantiae metam procedes: tuncque videbis servum tuum delicate nutritum fieri contumacem.

O fili! unum est necessarium. Vis imperare tibi? Vis dominari in medio inimicarum concupiscentiarum tuarum, fraena gulam, et omnem carnis inclinationem facilius fraenabis.

3. Violentia utique ad hoc opus est; et forte habet certamen qui nititur vincere seipsum.

Accinge te ergo, sicut vir, et praepara animam tuam ad tentationem: memorare novissima tua, et non peccabis.

Propone tibi facere per poenitentiam, quod probabiliter non faceres per simplicem prudentiam.

Recogita annos tuos: vide quot delicta commisisti, quot scelera perpetrasti, et dic: o! si in his conprehensus fuissem! o! si tunc mortuus, et judicatus fuissem!

Verum pepercit mihi misericordia tua, Domine, et superest mihi ut poenitentiam nunc agam, aut post mortem saeviorem sustineam.

Quanto amplius mihi nunc pepercero,

et carnem in epulis secutus fuero; tantò dirius postea luam, et majorem materiam comburendi reservo.

Recogita ignem futurum, et dic: o! si anima mea in purgatorii flammis detineretur, et posset se sicut nunc potest, per inordinati appetitus refraenationem, a tormentis liberare; certe faceret, et cum omni fervore faceret.

O anima mea! fac nunc quod tunc facere velles, et bene secura eris.

4. Aspice quoque, fili, in me virtutum consummatorem: inclina aurem tuam, et audi me dicentem: ecce quadraginta diebus jejunavi in deserto, non manducans, neque bibens; ecce sitivi in cruce, et fui aceto et felle potatus.

Et tu membrum esses sub capite adeo austero et mortificato delicatum: et tu velles exquisite nutriri, sumptuose cibari, voluptuose potari, tu nocens, tu peccator.

Esurivi, ego magister; et tu discipulus, velles abundare! sitivi, ego Salvator; et tu redemptus, velles suaviter inebriari.

Regnum meum non fuit de hoc mundo; et tu regalibus terrarum deliciis velles satiari! tu homo Dei, velles servire ventri.

Fili, fili: si vis venire post me, abnega temetipsum, et mortificationem meam in corpore tuo circumfer.

5. Convivia fuge: si amas illa, amas periculum, et in illo peribis: quoniam ibi concupiscentia quasi ignis exardescit.

Si domi manseris, et mensam tuam juxta sobrietatis et temperantiae regulas ordinari curaveris; parvus erit sensualitatis serpens, et facile interficietur.

Sed inter escas et pocula conviviorum crescet; et fiet brevi fera pessima, quae te devorabit.

Ibi enim appetitus carnalis per visum excitatur, per saporem irritatur, prae evagatione mentis non observatur, prae jucunditate non fraenatur; quin et per convivarum incitamenta, quasi lentius adhuc urgeret, stimulatur.

Sicque ibi vix sobrius manebis, nisi de morte, judicio et inferno fueris memor.

6. Verum equidem est te non posse ab omnibus conviviis abstinere: quaedam enim caritas praecipit, quaedam necessaria honestas jubet, quaedam vel ipse zelus commendat.

Ego ipse cum publicanis et peccatoribus manducavi, quia opus erat male habentibus medico,

Sed, fili, si haec tantum adieris convivia, quae vel caritate, vel necessaria honestate, vel zelo movente adire debueris; quam raro adibis, et quot convivia vitabis.

Si vero saepe vocatus ad prandium ire non recuses; quam facile contemneris, si praesertim societatem conviviorum ineas, et per vices accedas et reddas, brevi de te erit clamor in popolo cui scandalum dabis.

Clamabunt pauperes, et dicent: ecce quomodo de eleemosynis nostris luxuriatur presbiter, dum nos egestate consumimur.

Vociferabuntur aratores, vinitores, opifices et dicent: ecce quomodo in abundantia jucundatur sacerdos; dum nos in sudore vultus nostri, arcto vescimur pane.

Clamabunt oves meae, et extollent se contra pastorem, dicentes: medice, cura teipsum: doce teipsum poenitentiam, sobrietatem, laborem.

7. Et vere, fili: qualis est vita sacerdotis convivia sectantis? Sero surgit, vix orat, festinanter horas persolvit, imparatus et sine spiritu interiore celebrat, modo ad mensam properat, carnis desideriis indulget, tempus cum conviris per

ludos et inania colloquia terit, tarde recedit, et sine recollectione prae lassitudine recumbit.

Sicque sequens suam sensualitatem, paulatim de pietate necessaria decidit, gratiam Dei perdit, fitque demum animalis homo, ad studium, sacrum ministerium, et ea quae Dei sunt impar.

Vide, fili: melius est utique ire ad domum luctus, quam ad domum convivii.

8. O Domine! claude sensualitatis meae ostia: verte mihi in amaritudinem omnem delectationem carnalem, a sancto servitio tuo me abstrahentem.

Libera me a concupiscentiis illecebrosis quae militant adversus animam: animo infrunito ne tradas me.

Scio enim me non posse duo gaudia habere; delectari in hoc saeculo, et postea regnare tecum in coelo.

Mihi sane melius est in terris abstinere, quinimo et paululum esurire; deindeque in aeternum de te satiari, quam hic deliciis inebriari, et postea in fame, siti et opprobrio lugere.

CAPUT LXX.

De modestia in vestibus.

1. Modestia tua, fili, nota sit omnibus hominibus. Ambula sicut habes formam ab Ecclesia praescriptam.

Si Ecclesiam praecipientem non audieeris, eris sicut ethnicus et publicanus: et ego visitabo super te, si veste peregrina induaris.

Vide igitur ne legem matris tuae spernas: colorem et formam decrevit, colorem et formam serva: vanitatem et luxum prohibuit; haec devita.

Simplicitatem et decentiam praescripsit; haec tene, in his esto: sordidas et pannosas vestes respuit; has rejice.

2. Quomodo fili, obscuratum est aurum? quomodo mutatus est color optimus?

Quot vides inter Sacerdotes meos, qui insignia mea erubescunt! Regale Sacerdotium sunt, et regalem coronam contemnunt, non ferentes.

Saeculo renuntiaverunt, et de vilissimo mundi pulvere vestes refertas ferre amant: milites mei sunt, et vix impinguati et dilatati recalcitrant, et indumenta mea projiciunt.

Servi mei sunt, et student hominibus placere: clerici sunt, et sponsi apparent: de mundo sunt, et ideo mundum amant, et amat eos mundus.

O insensati! Alti sunt apud homines vanos, sed abominatio apud me. Erubescunt me coram hominibus; erubescam et ego eos coram Patre meo, qui in coelis est.

O fili! declina a malignantibus istis; vanitatem et extollentiam oculorum istorum longe fac a te.

Neque illorum, fili, exemplum sequaris, qui quidem mundanum decus non prosequuntur, sed tamen indisciplinati sunt, regulis non obtemperant, dicentes se de modicis istis non curare.

Neque etiam illorum qui, prae nimiae incuriae suae singularitae, risum potius movent, quàm venerationem excitant.

Verum illos intuere et imitare, qui, per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendunt. Illorum vestigia, fili, terat pes tuus.

3. Observabo eos, sequar eos, Domine: utique bonum est mihi facere secundum exemplar eorum.

Bonum est, me cum illis nequidem unum jota, nequidem unum apicem ecclesiasticae regulae omittere.

Bonum est, me cum illis esse in minimo fidelem, ut in majori quoque cum illis fidelis sim.

O quam pulchri sunt gressus eorum, Domine! Quam potenter allicit ad virtutem ipsorum aspectus! Quantam reverentiam promovet ipsorum gravitas, humilitas, simplicitas, modestia!

Sequar, Domine, sequar, si quomodo comprehendam sanctam illorum speciem.

O Domine! pars haereditatis meae, portio mea in terra viventium; numquid rursum saeculi vanitatibus aperirentur oculi mei?

Quid mihi cum terra, et coloribus hominum terrenorum? Quid mihi cum mundo, et decore mundanorum? Quid mihi cum venustate, et ornatu effeminatorum?

Unam petii a te, Domine Jesu, hanc requiram; ut modestiam tuam in corpore meo semper circumferam, quatenus vita tua manifestetur in carne mea mortali.

CAPUT LXXI.

De domo Sacerdotis.

1. Esto, fili, domui tuae bene praepositus. Si domui tuae praeesse nescis,

quomodo Ecclesiae meae diligentiam habebis?

Vita tua debet in omnibus esse ovium mearum forma: ita ut nonmodo ex his quae ex cathedra dicis, aut in tribunali doces, verum etiam ex omni tua agendi ratione dirigantur.

Cura igitur ut cum dictis tuis omnia quae in domo tua videri possunt et observari, concordent.

2. Doces, non esse homini in terra manentem civitatem; eum esse hic peregrinum et hospitem.

Quod verbis asseris, factis etiam testificare. Domum tuam, quasi transitoriam mansionem, ordina.

Simplex sit; necessariis non careat, superfluis vacua sit. Clamet ingredientibus: satis morituro.

Doces, regnum Christi de hoc mundo non esse; omnem gloriam ejus esse ab intus; omnem mundi splendorem habendum esse ut stercus.

Hoc factis etiam comproba. Absit a domo tua vanum decus, quo domus filiorum hujus saeculi illustrantur: per eam modestia tua nota fiat omnibus introeuntibus.

Doces eos qui secundum carnem vixerint, ituros in perditionem; quae sursum

sunt sapienda, non quae super terram.

Hoc factis exprime. Suppellex, mensaque tua talis sit, quae hominem sanctum, vere spiritualem, vere sobrium, vere sibi mortuum deceat.

Doces omnem immunditiam, turpitudinem, aut scurrilitatem nec nominari debere inter christianos, sicut decet sanctos.

Ne igitur in domo tua ulla sit figura, ullus liber, ullum signum quod talia possit vel adumbrare.

Doces non esse nisi in cruce mea gloriandum; in hac esse salutem, vitam, protectionem ab hostibus.

Ergo Crux mea sit domus tuae speciale decus, et gloria. Pone eam in signum, ut tibi ipsi sit amoris mei memoriale semper praesens, virtutisque incitamentum, et ut, qui percussi a peccatis ad te ingressi fuerint, aspiciant, convertantur et vivant.

Doces in domo christiana omnia debere honeste et secundum ordinem fieri.

Ergo cura et praecipe ut omnia apud te munda sint et bene ordinata, ut horae orandi, pie legendi, cubandi, surgendi, laborandi, sint fixae et caute serventur.

Doces eos qui suorum et maxime do-

mesticorum curam non habent, fidem negasse, et esse infidelibus deteriores.

Ergo si pater, si mater, si frater, si soror apud te maneant, cura ut honestam piamque vitam ducant, exemplum sint fidelium.

Si quocumque modo scandalis ansam praeberent: mater esset? pater ipse? praecipe, ut emendent se.

Sacerdos es: majorem illis potestatem habes. Hoc mihi et populo debes.

Si non reformentur, provide alibi necessitatibus illorum.

Vide etiam ut servi tui et ancillae in omnibus tibi subditi sint, non contradicentes: sed in omnibus fidem bonam ostendentes, ut doctrinam Dei tui ornent in omnibus.

Sollicite vigila super eos: et si ex parte illorum aliquid contingat quod unum ex minimis meis pusillis posset scandalizare; irrumpe virtute iniquitatem; aufer malum de domo tua.

Sanctum Sacerdotem nonnisi sancti servi et ancillae decent.

Doces Christianos debere esse misericordes, hospitalitatem sectantes.

Ostende factis fidem tuam. Sit domus tua, pro posse tuo, eleemosinarum auxi-

liorumque fons uberrimus: ita ut de te dici possit quod olim de sancto quodam sacerdote dicebatur: ipse omnium indigentium curator est.

3. Sit verbo domus tua domus sancta, quae nullum corruptionis genus admittat; domus pia, quae caeteras ad pietatem informet.

Domus paterna, ad quam oves meae cum veneratione et fiducia accedant, scientes quod ibi maneat verus homo Dei.

CAPUT LXXII.

De Summo Romano Pontifice, Capite visibili Ecclesiae, Christi in terris Vicario.

1. Ego Salvator mundi, postulavi Patrem meum, et dedit mihi gentes in haereditatem.

Ecce dominor a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum, benedicens universas cognationes terrae.

Multiplicavi semen meum super stellas coeli: repleta est terra ovibus meis, et ego Pastor bonus ovile meum, Ecclesiam meam dilectissimam ipsis paravi.

Ovile istud nunquam subvertetur, fili.

Ecclesia mea usque ad consummationem saeculi inconcussa remanebit.

2. Fundamentum est hujus ovilis Petrus. Super hanc enim petram aedificavi Ecclesiam meam.

Et quemadmodum qui fundamentum domus evertit, totam domum diruit: ita et qui Petrum vel successores ejus solvit, totam Ecclesiam subvertit.

Tene ergo, fili, tene Petri et successorum ejus fidem, et unitatem indeclinabilem.

Qui non est cum illis, contra me est: et qui non colligit cum illis, dispergit.

Oves meae vocem illorum audiunt: et qui non audiunt, non sunt ex ovibus meis.

3. Vide, fili, vide turmas illas ovium miserandas, quae relicto Petro super aliud fundamentum voluerunt sibi ovile extruere.

Vide quomodo similes fuerint homini aedificanti domum suam super arenam.

Descendit pluvia, venerunt flumina, flaverunt venti, et irruerunt in domos illas; et ceciderunt, et fuit ruina illarum magna.

Vide Graeciam, vide Angliam, vide tot alias regiones quae se a Petro segregaverunt.

Vide : non unitatem tantum, sed etiam fidem ipsam sine qua impossibile est mihi placere, perdiderunt.

Vide e contra populos fideles, qui in ovili super Petrum fundato remanserunt.

Vide quomodo inter fracti labentis orbis ruinas impavidi et illaesi perstiterunt.

Descendit pluvia errorum, venerunt flumina persecutionum, flaverunt venti seductionum, et non ceciderunt Ecclesiae illorum, quia fundatae sunt super petram.

4. In Petri Romana Sede nullus unquam sedit haereticus : in hac fides nunquam defecit.

Idcirco, fili, serpens antiquus, inimicus ille pessimus, qui tanta malignatur in sancto, efficacius nunquam habuit medium, ut oves meas depraedaretur et mactaret, quam eas a Petro et successoribus ejus separare.

Diligenter adverte omnes quae serpuerunt et serpunt hodiedum haereses, et videbis illas non alio modo fuisse stabilitas, quam per hanc a Romano Pontifice discessionem.

Adhuc, fili, ob oculos tuos sunt, adhuc in annalibus tibi offeruntur horrendi illi haereseon patronorum contra Petri successores rugitus ex imis inferni ipsius faucibus deprompti.

Nec mirum, fili. Qui vult domum subvertere, fundamentum aggrediatur necesse est.

Vis ergo, fili, oves in via veritatis et salutis tuto conservare? cura ut, quanto plus Romanae Sedi adversatur cum suis Diabolus, tanto magis tu cum tuis, ei maneas firmiter addictus: sciens quod unum sit ovile meum et unus Pastor.

Vigila caute, fili, et sta immobiliter in Petri sedis fide.

5. Neque tantum Petrus et successores ejus sunt Ecclesiae meae dilectae fundamentum; sed et agnorum et ovium Pastores, cunctorumque Pontificum Principes; totius corporis Ecclesiae meae visibile Caput.

Pondera verba haec, fili, ausculta diligenter hos Romanorum Pontificum titulos.

Si Pastores omnium sunt, ipsorumque Pontificum Principes; ergo et tu, quantum magnus alias in Ecclesia mea sis, illorum ovis, ipsisque inferior es.

Si Caput Ecclesiae meae visibile, ergo debes illos tanquam me, cujus Vicarii sunt, venerari.

6. Declina, fili, diligenter ab iis qui hos tangunt Christos meos, et in istos Prophetas meos non verentur malignari.

Libros qui contra eos impie debacchantur, velut Diaboli ipsius opera odio et horrore summo prosequere, et e vulgi manibus quantum in te est, eripere satage:

Sciens quoniam incentiva sunt rebellionis, non contra terrenum Principem, sed contra meipsum summum Ecclesiae totiusque orbis Dominatorem.

7. Profunda igitur erga Romanam sedem Religione plenus mane:

Exhibe ipsi sincerissimum amorem, indivulsam fidelitatem, et debitam obedientiam.

CAPUT LXXIII.

De Obedientia Episcopo praestanda.

1. Obedi, fili, praepositis tuis, et subjace eis: ecce praecepi tibi, et tu observare spopondisti.

Promisisti Episcopo tuo, et successoribus ejus obedientiam: vota tua redde, et pretiosus eris in conspectu meo; melior est enim obedientia, quam victimae.

Vide, fili, ego hostias et oblationes Patri meo non dedi: sed cum corpus aptasset mihi, veni ut facerem voluntatem ejus.

Quae placita erant ei feci semper: factus sum obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

2. Praelatus tuus Pastor tuus est, Episcopus tuus, quem posuit Spiritus meus cum caeteris regere Ecclesiam meam, cujus es membrum, ipse pervigilat super te, quasi rationem redditurus pro anima tua: cura ergo ut cum gaudio hoc faciat, et non gemens.

Subjice te ex toto corde, propter Deum, plus adhuc ex caritate, quam ex necessitate.

Multo sane tutius est, fili, stare in subjectione, quam in praelatura.

In humili subjectione, sub Praelati regimine, multam invenies quietem: si vero te subtrahas ab obedientia, te etiam subtrahes a gratia.

O fili! si non libenter te subdis, signum est certe, quod multum carnalis sis; quod non in me, sed in te vivas, et inordinate te diligas.

3. Quid magnum, fili, si tu qui pulvis es et nihil, te homini subdis; quando ego omnipotens et altissimus, qui cuncta creavi ex nihilo, me propter te homini humiliter subjeci?

Factus sum omnium humillimus, ut su-

perbiam tuam mea humilitate vinceres.

Disce obtemperare pulvis: disce te humiliare terra et limus: disce ad omnem subjectionem te dare.

4. Murmuras forsan intra te: quare sic, inquis, quare sic corripit? Quare sic prohibet? Quare sic praecipit? Quare sic ordinat?

Quid est quod loqueris, fili? Qui tangit eum, tangit pupillam oculi mei.

Correptio tibi videtur asperior, mandatum durius. O homo inanis! quid habes conqueri? O sordide peccator, qui toties Deum offendisti, et infernum multoties meruisti! quid potes contradicere?

Exardesce potius contra temetipsum, et non patiaris tumorem in te vivere.

5. Sed ad quid hoc? Ad quid istud? In necessariis obediam; in inanibus non interest.

Quid fili? Vis igitur judicare judicem tuum, regere ducem tuum?

Inania dicis quae tibi praecipit Praelatus: jam ergo spernis illum. Nescis quod, qui spernit eum, me spernit?

Inania dicis quae jubet: noli, fili, sapere plus quam oportet sapere: si tibi temere judicanti inania videntur mandata

praecipientis ; sane inanis non est observantia obedientis.

Cura teipsum : non de praecepto, sed de observantia praecepti rationem reddes.

Obtempera igitur Praelato tuo, sine recalcitratione ; obedi, sicut manus capiti : illa utique, sine haesitatione et murmuratione, exequitur quidquid sibi a capite praecipitur. En regula tua : fac similiter.

6. Rogo te, fili : nosce eum qui praeest tibi in Domino, et monet te : illum in caritate abundantius habe : illum honore maximo prosequere. Unctus enim meus est.

Cave ergo ne inobedias, ne rebelles, ne detrahas, ne murmures, ne maledicas.

Mariam contra Moysem murmurantem lepra punivit : Core, Dathan et Abiron contemnentes Aaron, terra dehiscens absorbuit : missum Ochoziae, qui Eliam irridebat, ignis consumpsit : superbientem et nolentem obedire Sacerdotis imperio, mors manere debuit.

Quanto putas deteriora mereri supplicia, qni legis novae Praesules spernens, meipsum spreverit, et ita Spiritui gratiae contumeliam fecerit!

CAPUT LXXIV.

De Amicis seligendis.

1. Fili, amico fideli nulla est comparatio.

Si bonum et amicabilem virum ad societatem tuam inveneris, magis amicus tibi sit quam frater.

Causam tuam cum illo tracta, et bonis ejus consiliis anima tua dulcorabitur: si mala tibi evenerint, per illum sustinebis.

Erit tibi protectio fortis, medicamentum vitae et immortalitatis: et videbis non esse dignam ponderationem auri et argenti, contra bonitatem fidei illius.

2. Fili, quis talem inveniet amicum? Qui timet Dominum, inveniet illum.

Filii quidem hujus saeculi amicos reperiunt: at quales amicos? Socios mensae, qui non permanent in die necessitatis.

Amicos incostantes, qui hodie diligunt, et cras ad inimicitias convertuntur.

Amicos lactantes, qui ducunt per viam non bonam.

Amicos stultos, qui verba prudentiae

non recipiunt, nec delectantur, nisi de insaniis quae in corde eorum versantur.

Amicos, qui divites sectantur, pauperes fugiunt: qui colunt personam potentis: qui amant, non tribuentem sed dona tribuentis.

Amicos vitiosos, qui trahunt in semitas suas, animae scandalum dantes.

Tales certe, fili, solo nomine sunt amici: at in rei veritate infensissimi inimici.

O! quot et quantorum malorum causa est talium amicorum societas, nimiaque familiaritas!

Quot Sacerdotes de summa pietate in profundum teporem, et de tepore in profundiorem criminum abyssum detrusit, et detrudit quotidie!

Modo lactant, quem perdere volunt: modo insidiantur, tendiculas abscondentes: modo deglutiunt eum quasi infernus viventem, et omnem pretiosam ejus substantiam auferunt.

Intellige quae dico, fili. Si sacerdos aliquis pius et bonus temere cum insipientibus familiarem ineat societatem, primo adulantur illi, blandiuntur, malitiam occultant, amoenitatem exhibent, dilectionem ostentant.

Se in illorum consortio tutum credit

temerarius. Jam pro deliciis habet, esse cum illis.

Jam aliquid de consuetis orationibus et studiis relaxat, ut longiore temporis spatio cum ipsis gaudeat. Jam est sacro ministerio minus assiduus.

At revocat ad cor pia regularum consuetudo. Remordet conscientia, et dicit: fugit irreparabile tempus. Illud perdis, et rationem reddes.

Vult secedere incautus ille; detinetur: vult instare; deridetur.

Homo natus est ad societatem, inquiunt. Legendi plures libros nullus finis; frequens meditatio, carnis afflictio est.

Vae soli. Non oportet sapere plus quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.

Sic se in Angelos lucis transformant impii. Credit miser: jam decipitur, jam erubescit segregare se; imo angores conscientiae pro scrupulis habet.

Jam de mane ad vesperam de nugis fabulatur, et remanet tota die otiosus.

4. Quantum mutatus jam ab illo est. Sed hoc initium, fili. Multa mala deinde docuit otiositas.

Brevi insipientes et pravi amici libe-

rius agunt. Jam non timent detrahere, mala loqui, deridere regulas, zelum, pietatem.

Hoc displicet quidem primum amico novo: at captus est; jam non audet resistere, quin et non consentire, non plaudere.

Modo imo, ut amicis placeat, detrahit cum detrahentibus, mala loquitur cum mala loquentibus, deridet cum deridentibus.

Missa deinde celebranda est; et os malignitate et turpiloquio foedatum sanctissimis mysteriis aperire non timet.

Populus ad officium divinum convocatur: Habet aures audiendi; et pastor non habet vocem loquendi, quia tempus inaniter consumpsit: non studuit, non oravit, et imparatus est.

Poenitentes accedunt, medelam confessionis poscentes; et Sacerdos, vel recusat, quia promisit amicos adire; vel aegre, vel festinanter audit ut citius ad amicorum consortium convolare possit.

Hodie apud illos est; cras illi apud eum: et ubique nihil, nisi lusus, convivia, vana jucunditas.

Substantia patrimonii mei inaniter dis-

sipatur. Interea gemunt pauperes, scandalizantur fideles.

Vult aliquis miserum sacerdotem monere, reprehendere? irascitur, comminatur.

Et si superior praesertim id fecerit, extollit se, rebellat objurgans vel saltem contemnens.

Plaudunt amici, iramque magis provocant, se in rebellione patronos praebentes.

Jam nullum veneratur ille, aut audit superiorem; et se cum suis omnibus tradit ultro perversitatibus.

Cum mundanis mundanus est, cum blasphemis blasphemus, cum corruptis corruptus, cum ebriosis ebriosus;

Cum sacrilegis sacrilegus, cum impiis impius, cum filiis Belial filius Belial est, qui prius homo Dei erat.

5. O fili: caritatem habe ad omnes, sed secundum virtutem tuam cave, ne sis cum talibus familiaris: cave ne temere cum quolibet amicitiam ineas.

Ne reveles omni homini cor tuum, sed illi soli quem coram me cognoveris esse sapientem, Deum timentem, morigeratum, pium, prudentem, sobrium, pudicum, studiosum, misericordem, humi-

lem, simplicem, modestum, cordatum.

Cum tali assiduus esto: arctissimam habe cum illo amicitiam.

Ille per exempla sua te ad perfectionem stimulabit; per monita mansueta te a via recta declinantem reducet.

Ille te in adversis roborabit et solabitur; te in dubiis illuminabit, et prudenter diriget.

Cum illo gaudebis et laetaberis in hac Dei pace quae omnem sensum exuperat.

Gradere, fili, cum tali sapiente; et sapiens eris. Cum juvenibus autem et extraneis rarus esto: cum divitibus noli blandiri: coram magnatibus non libenter appareas.

Quoties enim inter tales, sine necessitate, aut vera utilitate fueris, minor homo redibis.

CAPUT LXXV.

De unione Caritatis invicem tenenda.

1. Diliges proximum tuum, sicut teipsum. Hoc est, fili, mandatum secundum, simile primo et magno legis mandato.

Diliges proximum tuum, sicut ego di-

lexi te. Hoc est mandatum novum quod dedi tibi.

Si non servaveris illud, fili, manebis in morte. Quomodo enim Deum tuum quem non vides diliges, si fratrem tuum quem vides, non diligis?

O fili! hoc est eminenter praeceptum meum. Et si solum fiat, sufficit.

Tu scis quoties Patrem meum rogaverim, ut mei essent unum, sicut ego et Pater unum sumus.

Tu scis quot repetitis vicibus è mundo migraturus hoc postulaverim.

Tu scis quot iteratis jussionibus eis commendaverim, ut essent consummati in unum.

Quomodo coarctor, fili, usquedum hoc perficiatur!

2. O sacerdotes! vos amici mei eritis si feceritis quod praecipio vobis.

O duces gregis mei! diligite invicem, ut oves meae se mutua dilectione prosequantur; sicut ego me sanctificavi, ut essent oves meae sanctificatae.

Unum corpus multi estis, omnes qui de uno pane participatis. Unum estote cor, una anima.

In hoc cognoscent omnes, quia veri ministri mei estis, si dilectionem hanc habueritis ad invicem.

3. Diligite invicem ; et clarificabor in vobis : et credet mundus quia Pater me misit , et ego misi vos .

Diligite invicem ; et manebo vobiscum, et ero semper in medio vestri : quia per amorem hunc manebitis semper in Nomine meo congregati et adunati .

Diligite invicem ; et mirabitur vos mundus , et audiet , et obediet , et venerabitur , et imitabitur .

Diligite invicem ; et per vos fulgebit Ecclesia , et dilatabitur a mari usque ad mare , usque ad terminos orbis terrarum .

Diligite invicem ; et ad conspectum vestrum , vel ipse infernus pavebit : sciens quoniam contra filios meos per caritatem junctos praevalere non potest .

Quoniam per hanc dilectionem manent in corde meo muniti , sub alis meis absconditi , in corpore meo vivi , ab aliis membris protecti , et fere quasi ipsum corpus meum inexpugnabiles .

4. Diligite invicem , filioli , sicut membra in unum corpus consummata se diligunt .

Si quis ex vobis patiatur , compatimini. Si quis glorietur , congaudete .

Honore invicem praevenite : inferiori-

bus non arroganter, sed paterne imperantes: superioribus humillime et ex corde obedientes.

Opere invicem juvate: oratione invicem auxiliamini: exemplo invicem excitate: monitis invicem dirigite.

Diligite, non verbo, neque lingua; sed opere, et veritate.

Diligite invicem; et ne per detractionem quemquam fratrum mordeatis: et ne per contemptum quemquam confundatis: et ne per superbiam quemquam offendatis.

Diligite invicem; et ne in secreto quidem corde aliquid contra quemquam fratrum teneatis: ne invidiam, ne aversionem, ne suspicionem ullam.

5. O Domine! quam bonum et quam jucundum esset videre sacerdotes, sic per dilectionem junctos in unum!

O mirabile sancti amoris praeceptum! O quam bonum semen seminasti in agro tuo, Domine, cum illud mandatum nobis dedisti!

Verum, Domine, unde zizania in agro tuo? Unde tot lites, tot schismata, tot odia, tot inimicitiae inter sacerdotes tuos, saepius, eheu! ad mortem usque perseverantes?

6. Unde, fili, unde? hinc: ex concupiscentiis eorum.

Hinc: quia multi diligunt naturaliter, carnaliter; pauci sancte et spiritualiter.

Hinc: quia in multis vivit vetus homo, homo superbus, cupidus, invidus, impatiens. Narrabo tibi abscondita haec, fili; et videbis.

Ille odit istum, quia obtinuit munus aut dignitatem, quae ipse ambiebat: quia illa ad sublimia provectus est, dum ipse fuit ad obscura et humilia deputatus:

Quasi omnes deberent esse Apostoli aut Prophetae; quasi non possem facere aliud vas in honorem, et aliud in contumeliam.

Hic in altiori gradu constitutus, de praeminentia sua tumidus, inferiores despicit, et quasi conculcat:

Quasi non essent fratres, quasi non esset ille, sicut isti, pulvis et cinis; quasi dedecus ipsi esset cum eis conversari.

Ille istum aversatur, quia doctrinae fama praeeminet:

Quasi omnes deberent esse doctores, et non liceret mihi scientiae decus et famam cui voluero donare.

Iste huic invidet, quia efficacius animarum conversionem operatur:

Quasi omnes deberent gratiam habere curationum, et ego non possem incrementum dare per quem voluero.

Ille istum male aemulatur, quia est eloquio potentior:

Quasi omnes deberent linguis loqui, et ego non possem pro libitu meo dare huic vel isti sapientiam.

Ille istum odio habet, quia per piam eius vitam mores prioris liberiores condemnantur.

Ille de sua scientia vel pietate superbus, eos quos minus pios credit aut doctos, ut contemptibiles habet.

Ille, quia avarus est, nulli amicus est; sed omnes a se repellit: ne societas expensis ansam praebeat.

Iste quia impatiens est, odientes se, maledicentes, calumniantes, laedentes, fraudantes, quin et jocose deridentes sustinere nequit; imo detestatur, in eos irascitur, nec veniam quidem petentibus dimittit.

7. Ecce, fili, quomodo pessima natura, amor proprius ipsos sacerdotes a sancta caritate retrahit. Sic faciet etiam tecum, nisi vigilaveris.

Si illum audieris, non alios, sed te solum amabis. Voles alios omnes sub te

esse, tibi adulari, tibi servire. Sanctiorem te, doctiorem, digniorem, ditiorem, noles pati.

Quinimo callidus ille amor, ut te in aversionem quasi legitime trahat, multos tibi in aliis finget defectus, ampliabit, dilatabit, aperiet, probabit.

Festucas mutabit in trabes: te multa de eis male credere, aut saltem suspicari faciet.

Et si jam in aversionem te traxerit, conabitur illam in odium convertere: te ad susurrationes, despectus, detractiones movebit.

Hinc lites, hinc contentiones, hinc inimicitiae, quae saepe cum moriente sacerdote in pulverem sepulchri descendunt.

Vide, fili, vide quomodo zizania ab inimico homine in agro meo seminentur.

Vide quomodo nulla sint inter sacerdotes odia quae non ab aliqua concupiscentia aut passione originem ducant.

8. O fili! si vis necessariam caritatem cum fratribus servare, sub disciplina cohibe omnes passiones tuas: abstine te ab omni inordinato tui amore.

Quamdiu enim tibi eris singularis, non poteris esse fatribus communis.

9. O Domine! diligam fratres meos;

in hoc impendam me, et superimpendar, sciens quia, si caritatem hanc non habuero, nihil mihi proderit, quidquid aliunde possedero.

Diligam fratres, et ero erga omnes patiens et benignus: non aemulabor, non agam perperam, non inflabor.

Non ero ambitiosus, non quaeram quae mea sunt: non irritabor, non cogitabo malum.

Non gaudebo super iniquitate, congaudebo autem veritati: omnia sufferam, omnia credam, omnia sustinebo.

Diligam, et diligam semper: caritas mea numquam excidet.

Iniquos quidem odio habebo, quoniam odio tibi sunt, Domine: verum in odio meo, ipsorum amanter miserebor, cupiens vehementer, ut ad cor redeant.

Quaeram, Domine, te juvante, miseros illos fratres, loquar ad eos, alliciam, obsecrabo, mansuete reprehendam: et tunc tantum habebo eos ut ethnicos et publicanos, quando Ecclesiam tuam non audierint.

Caeterum per meipsum non judicabo, ne judicer; non condemnabo, ne condemner.

Nec satis adhuc, Domine. Scio enim

quod si eos tantum dilexero, qui me diligunt, nulla mihi erit gratia: nam et peccatores diligentes se diligunt.

Sed diligam ipsos inimicos meos; benefaciam his qui me oderint; benedicam maledicentibus mihi, orabo pro calumniantibus me.

Percutienti maxillam praebebo: vim mihi facienti cedam: offendenti dimittam; ut sim misericors, sicut tu misericors es, bone Domine, qui solem tuum oriri facis super bonos et malos.

CAPUT LXXVI.

De libris prohibitis.

1. Noli, fili, jugum ducere cum infidelibus. Quae enim participatio justitiae, ad quam teneris, cum iniquitate quam libri impiorum distillant?

Quae societas lucis qua illuminatus es, et qua caeteros illuminare debes, ad tenebras pseudo-philosophorum?

Quae conventio Ministri mei ad angelos Belial? Quae pars Sacerdotis fidelis cum scriptoribus infidelibus?

Qui consensus Presbytero, qui quotidie Dei sui templum est, cum idolis tur-

pissimis, quae in lascivis libris laudantur et coluntur?

Separare, separare igitur, fili, dico tibi ego Dominus tuus, separare a libris perversis, et immundum ne tetigeris.

2. Memento, fili, quoniam serpens callidior est cunctis animantibus: non veretur ille ad ipsos Sacerdotes meos venire, sicut quondam ad Evam accessit.

Venit ut illos sicut eam decipiat, delinquere faciat, quin et in impietatem et in incredulitatem trahat.

Cur, inquit, praecepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno? Cur non legeretis de omni libro?

Et si forte responderint: praecepit nobis Deus, ne malos tangeremus libros, ne forte moriamur; addit continuo inimicus: non, nequaquam morte moriemini; sed aperientur oculi vestri, et eritis sicut Dii, scientes bonum et malum.

Dogmata nostis, fidem tenetis; ratione, judicio, prudentia repleti estis; scitis reprobare malum et eligere bonum.

Legite: utile est vobis noscere impietates et mala, quae debellare debetis.

Legite: quaedam quidem perversa proferunt libri impiorum: sed eleganter, sed eloquenter dicunt, et multa quae

ignoratis, vos edocebunt, falsa dogmata respuetis: eloquentiam utilem, et ea quae scitu digna sunt retinebitis.

Sic fit ut quidam curiositate et superbia ducti libros istos contra Dei et Ecclesiae mandatum temere aperiant: et cum viderint illos esse pulchros oculis, aspectuque delectabiles, comedunt de fructibus illorum.

3. Quid autem postea? Eheu! sermo librorum istorum, qui ut cancer serpit, venenum suum brevi in corda legentium defert et ingerit.

Modo plus placent ipsis fabulae iniquorum, quam lex Domini immaculata.

Modo nefanda eorum dogmata non adeo ut prius detestantur: modo seducuntur, et in fide vacillare incipiunt.

Modo non redigunt ut antea omnem intellectum in captivitatem, in obsequium Christi: sed rationem suam caecam volunt fidei dominari.

Modo tandem perit fides, et aufertur de corde eorum.

O! quot, fili, quot Sacerdotes, olim boni et firmi, sic ceciderunt! quia in arcu et gladio suo vane confidentes, ad inimicorum Dei libros temere accesserunt.

4. Tibi igitur dico, dilectissime: odio

summo habe libros malignantium, et cum illis ne sedeas.

Apparent tibi in vestimentis ovium: sed intrinsecus sunt lupi rapaces.

Ne quaeras in illis profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae, videns quia multi hoc in istis quaerentes, circa fidem exciderunt.

Qualiscumque ergo esset qui tibi librum impium offerret, et legere suaderet, absque Praelati tui licentia, responde: non licet. Dic anathema libro.

Si autem incautus aliquot hujusmodi apud te habueris, projice eos a te sine mora et combure.

Recogita quod portes thesaurum fidei in vase fictili: noli ergo illum exponere periculo, sciens quod ejus conservatio, etiamsi Sacerdotis, non ex fortitudine tua, sed ex mea virtute pendeat.

5. Verum, fili, tu scis quia fides sine operibus mortua est. Quid igitur tibi prodesset fidem servasse, si opus non consummares; id est, timores integerrimos non haberes?

Non ergo minus a libris mores depravantibus, quam ab iis qui fidem subvertunt, te abstine:

Vide, fili: per mille dolos conatur te

decipere Diabolus ; et cum experimento sciat Sacerdotes generatim ab impiis libris abhorrere, plus conatur per libros lascivos ipsorum Sanctitati insidiari.

Venit lactans ille nequissimus. Amice, inquit, non potest homo arduis studiis semper incumbere, seriis lectionibus semper intendere.

Recreatione et varietate opus est: arcus enim nimis tensus facile rumpitur.

Primum igitur proponit libros forsan quidem innocuos, sed vanos.

Tolle, lege, inquit: ne mali quidem umbram hic invenies: legunt hoc isti et isti: et scis utique quia viri sancti sunt.

6. Verum est quidem, fili, inimicum hic tibi non proponere rem. malam et illicitam: sed aliud habet in mente Satan.

Et quid? hoc scilicet, ut inclinet oculos tuos ad videndas vanitates, et deinde affectum tuum ad illos moveat.

Si igitur ipsi obediveris, neque tantum modicae recreationis gratia tales libros legeris, sed eos nimis amaveris: statim ac observaverit in te vanorum librorum famem, non innocuos tantum, sed immundos, sed lascivos tibi libros afferet.

Rari sunt, inquiet, libri ad recreationem absolute puri: sed in his et istis

pauca reformanda forent. Multi eos legunt, et quidem sine periculo.

Tu a longo tempore castus es. Si quid occurat praeteribis; aut si id legas, obiter et cursim leges.

Lege, lege: noli esse pusillanimis et meticulosus.

7. Si vero tu, fili, tentatori cedens, et in praeterita castitate confidens, non verearis tales libros legere, brevi experieris quod sicut homo non potest ignem in sinu suo abscondere, quin ardeant vestimenta ejus; aut ambulare super prunas, quin comburantur plantae ejus:

Sic homo qui libros amatoriis passim respersos legit, a castitatis integritate brevi decidit.

Ne igitur tangas picem istam: certe inquinareris ab ea.

Ne ullam quidem paginam legas, in qua aut turpitudo, aut scurrilitas reperiatur.

Memento quod absolute pudici debeant esse oculi illius, qui solet Corpus Domini intueri.

Tale est, fili, in libris lascivis periculum, ut cum eruditis et sapientibus dari alias possit a Praelatis licentia legendi libros contra fidem; nunquam nec ulli,

nec ab ullo potest lectio librorum lascivorum permitti.

8. Et certe, dilectissime, tu, cum sis bonus Sacerdos, et fidelis dispensator, saepius ex Cathedra intonas contra eos, qui ejusmodi scripta retinent aut legunt.

Et quare? Quia scis quod bonos mores Corrumpunt colloquia prava: quia scis spiritum promptum esse ad malum, carnem vero debilem et infirmam.

Verum, fili, num quia Sacerdos es, humanum spiritum et humanam carnem exuisti? Non sane.

Vere, fili, caeteris debes esse castior, sanctior, perfectior: sed homo es, et ex teipso certe non es aliis fortior, firmior, potentior; non es minus illis ad malum pronus, et infirmus.

Quid igitur dicam tibi? Audi, fili: quanto major es, quanto castior et sanctior esse debes; tanto cautior esto, tanto ab omni libro speciem malam habente absolute te abstine.

Levia quaedam pro saecularibus nugae esse possent: pro te, fili, essent blasphemiae.

CAPUT LXXVII.

De Prudentia erga Foeminas servanda.

1. Dixi tibi, fili, ne unquam obliviscaris, velim: propter speciem mulieris multi perierunt.

Propter Evam primus homo, propter Dalilam fortissimus Samson, propter uxorem Uriae religiosissimus David, propter mulieres alienigenas sapientissimus Salomon miserrime ceciderunt.

Tu quis es igitur, ut audeas, sine prudentissima cautela, cum ipsis agere?

2. O fili! o discipule! numquid eris super Magistrum tuum? Et si ego, sanctitas immutabilis, erga feminas fui cautissimus, numquid tibi, arundini vento agitatae, licebit esse incautum?

Nullum sane mihi potuit esse in earum conversatione periculum: verum exemplum tibi dare volui, ut ita et tu faceres.

Disce ergo a me rarum, brevem et austerum ad illas habere sermonem.

Disce ad vanas Samaritanas non loqui, nisi ad conversionem, poenitentiamque suggerendam.

Disce ad peccatrices confusas et humiliatas verba non habere, nisi ad pacem dandam, et viam novam edocendam.

Disce cum piis Chananaeis non conversari, nisi cum gravi et austera bonitate.

Disce illas, prae sanctitatis tuae odore, ad te venientes, a te etiam cum imperio repellere, si humanam nimis dilectionem demonstrent.

Disce sanctas mulieres Marthas et Marias non invisere, nisi propter amicum fratrem Lazarum, aut aliam religionis, necessitatis, caritatisve causam.

Disce cum illis, non de temporalibus nugis confabulari, sed de uno necessario, de optima eorum quae sursum sunt parte tractare.

Disce, non superbas, non otiosas, non garrulas, non ornatas, non vanitatibus saeculi deditas foeminas visitare; sed aegrotantes, sed de morte Lazari tristes, sed de morte unigeniti flentes adire et consolari.

Disce ita rarus esse cum illis, ut mirentur etiam fideles, te in necessitate vel utilitate cum illis loqui.

Disce vel nimium erga cognatas affectum deponere, et per sanctitatis severitatem vel ipsam mansuetudinem tuam temperare.

Si frequentiores apud te sint, et alias secum liberius ducant; sicque te ab ora-

tione vel studio distrahant; segrega te, et dic: quid est quod me quaeritis? quid est quod me turbatis? Nescitis quia in his quae Patris mei sunt, oportet me esse?

Disce proximarum, vel tibi ministrantium affectum, si nimius sit, coercere; sicut ego filiabus Jerusalem dixi, ut non super me, sed super seipsas flerent.

Disce non esse familiaris alicui mulieri, sed in communi omnes bonas mulieres Patri meo commendare.

Disce domos viduarum vel virginum non introire solus.

Disce solus cum sola, absque arbitro vel teste, non sedere.

Disce cavere omnes suspiciones; et quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante devitare.

Disce virginum munuscula, delicias, lepores, nimias urbanitates contemnere, quin et erubescere.

3. Vide, fili, clericos, quorum olim sanctitatem mirabaris, exemplum imitabaris, odorem sequebaris, et quos nunc hodie cernis, viles, despectos et abominabiles esse factos.

Quandonam, fili, aurum eorum obscurari coepit? Quando mutatus est color

eorum optimus? Nonne, ubi coeperunt esse erga feminas minus cauti?

Periculum consortii illarum non reformidarunt: modo amarunt, modo flamma immunda in eis exarsit, modo cessavi tenere manum dexteram eorum; modo ceciderunt, et collisi sunt.

Modo lapis de pariete clamavit; modo lignum, quod intra juncturas est, dedit vocem suam; modo, quod fecerunt abscondite, in conspectu solis manifestatum fuit; modo toti plebi meae scandalum factum est.

Vae illis! expedivisset utique magis, ut mola asinaria in collo eorum suspensa fuisset, et in profundum maris fuissent demersi.

O fili! sit tibi in cautelam ruina haec temerariorum de se stulte praesumentium.

4. Verum respice etiam illos sacerdotes, qui primam caritatem non reliquerunt: sed in sanctitate et justitia mihi servierunt, omnibus diebus suis.

Isti utique, fili, surripuerunt se feminarum consortiis; ne malitia intellectum mutaret, ne fictio animam deciperet.

Isti pactum fecerunt cum oculis suis, ut ne cogitarent quidem de virgine.

Isti quidem anus venerantur, sed ut

matres; juvenculas honorant, sed ut sorores in omni castitate:

Viduas consolantur, sed quae vere viduae sunt; viduas vero quae in deliciis sunt, ut jam mortuas habent.

Adolescentiores quoque viduas, otiosas, circuire amantes, verbosas, curiosas, loquentes quae non oportet, accurate devitant.

Imitare, fili, sanctos illos; et cum eis castitatem et caritatem servabis.

CAPUT LXXVIII.

Quod consueta aliorum norma nan debeat esse Sacerdotis Regula.

1. Fili, noli conformari huic saeculo: sed proba quae sit voluntas mea bona, et beneplacens, et perfecta; ut ipsam in omnibus faciens, reportes promissionem.

Potens est ut torrens, flumen usuum, morisque humani: et nisi diligenter attenderis, et fortiter obstiteris, trahet te, fili, per viam latam in perditionem.

Adeò naturale est omnibus multitudinem sequi, adeo durum est a multitudine segregari, ut vix fieri id possit, nisi per victoriam quae vincit mundum, quae est fides nostra.

O! si sanctitatis, si justitiae praxis esset mos et usus humanus, quot, fili, salvarentur! Vix esset unus qui non declinaret a malo, et non faceret bonum.

Sed cum omnis fere caro corruperit viam suam, idcirco sequitur diluvium magnum perversi moris, pravorumque usuum, quod omnes fere interimit.

2. O fili! memento. Non dixi tibi: Vide quid faciant alii, et fac similiter: sed praecepi tibi; serva mandata.

Observa itaque omnes tuae regionis et temporis usus et mores; confer illos cum lege mea: et si contrarios eos esse videris, ab illis cautissime abstine, tibique specialem regulam juxta praecepta mea praescribe.

Scito quod mores et usus, a quocumque alias teneantur, vel ab ipsis praepositis tuis, te non poterunt in judicio meo justificare.

Praedixi enim tibi: fac quodcumque dixerint tibi; sed secundum opera eorum, si mala essent, noli facere.

Noli transgredi mandata mea propter traditionem vitae eorum, si perversa esset.

3. Si ergo in sacerdotali apice positus, vis secundum vocationem tuam am-

bulare, ne dixeris: Quid fit ab aliis? Quid faciunt caeteri?

Sed dic: Quid jussit mihi Dominus? Quid requirit a me? Quid praescribit mihi Ecclesia?

Ne dixeris: Quomodo celebrant caeteri? Quomodo psallunt? Quomodo ministrant?

Sed dic: Quomodo sacerdotem decet sanctissima tractare Mysteria, laudes Omnipotentis canere Ministerium adeo tremendum implere?

Ne dixeris: Quomodo communiter poenitentes in sacro tribunali tractantur? Quomodo de more verbum Dei praedicatur?

Sed dic: Quomodo tractari debent poenitentes, ut sanentur et solvantur? Quomodo praedicandum, ut inde fructus prodeat?

Ne dixeris: Quos abusus tolerant caeteri? Sed dic: Qui abusus tolerari possunt ad tempus? Qui abusus debent sine mora resecari?

Ne dixeris: Quomodo se gerunt alii? Quomodo tempus impendunt? Quomodo reditus ecclesiasticos expendunt?

Quomodo vestiuntur? Qualem mensam habent? Qualem societatem frequentant?

Quales lusus, quales recreationes sectantur?

Sed dic: Quomodo me gerere debeo, ut sanctificer, aliosque sanctificem? Quomodo debeo laborare? Quomodo licet mihi vestiri, cibari, recreari?

Quomodo bona Ecclesiae debeo impendere, ut possim securus esse, quando rationem reddam in novissimo die?

4. Revera, fili, multi sunt, quorum exempla caute et attente observare debes, et aemulanter sequi.

Facti sunt in oculis tuis imitatores mei: ut tu per ipsorum virtutes allectus, mei quoque cultor et imitator fias.

O fili! respice illos: adjuvabunt multum infirmitatem tuam.

Verum illorum exempla non sunt mos et usus communis: etenim pauci sunt illi electi relative ad magnum perversorum numerum.

Morem autem et usum a quo cavere debes, non efficit nisi stultorum infinitus numerus.

CAPUT LXXIX.

De recte sancteque vivendi Regula.

1. Vis, fili, aliquid proficere? Noli esse nimis liber: sed sub disciplina cohibe omnes sensus tuos.

Si regulam tibi coram me praefigas, et secundum eam vivas, mihi vives.

Si vero sine regula maneas, hodie asperam duces vitam, et cras mollem ac delicatam.

Ergo ordinem tibi praescribe; et omnia opera tua secundum ordinem illum fac. Sic tota vita tua facilius sanctificabitur.

2. Determinata tibi sit hora recumbendi et surgendi.

Naturae necessariam annue quietem; sed sensualitati excessum denega.

Septem, aut ad summum octo horae tibi sufficiant: quod amplius est, plus officit sanitati quam proficit; animum reddit enervem, diurnis officiis non parum inhabilem.

Memento, fili, verbi hujus: usquequo piger dormies? Paululum dormitabis, et veniet tibi quasi fur egestas; et qualis egestas? time, fili: non forte panis in-

digentia, sed certe pietatis egestas, multo plus formidanda.

3. Exurgens a somno, mentis tuae oculos ad me continuo leva: praebe cor tuum mihi, crucis signo te muni: sedulus surge sicut fidelis servus ad vocem domini sui.

Beatus ille servus, qui sic sine mora presto est, dicens: Ecce ego, Domine, quia vocasti me.

Induens te, age conceptiones sanctas, me praesentem intuere; ad quid in hunc mundum veneris, recordare.

4. Decenter indutus, ora voce, ora et spiritu: ad minus semihoram huic sancto exercitio impende.

Tibi enim impossibile est, sine orationis praesidio, cum virtute degere; et vitae mortalis cursum sancte peragere.

Brevi certe arescet cor tuum, si neglexeris comedere panem istum.

5. Oratione peracta, ad Missam, si jam celebranda sit, te dispone: sin vero, studio et lectioni incumbe.

Memento enim, quia perditum non redit tempus; memento, quia rationem reddes in novissimo die.

Cum autem hora celebrandi institerit, ad sacrificium faciendum te cum omni

pietate para : conscientiam diligenter discute : ad minus , per quadrantis horae spatium , te devotissime recollige .

In ipsa sacrificii actione , omnes ritus accurate serva , omnes errores cave , omnem fervorem impende .

Et post oblationem sanctam , moram decentem , sicut ante , in gratiarum actione transige .

6. Horas suo tempore , ante prandium religiose persolve .

Si diligis me , fili , gaudebis sane , quotiescumque tibi nova aderit mecum conversandi occasio .

Nonnihil etiam temporis examini particulari concede , ut videas quantum profeceris in hac virtute comparanda , in hocve vitio resecando .

Huic adeo utili exercitio , lectionem unius novi Testamenti capitis praemitte .

O fili ! sit tibi indivisus comes , illud coeleste verborum meorum compendium ; et Diabolus ad te ingredi non audebit .

7. Ad mensam frugalem , praemissa benedictione , accede .

Inter bibendum et edendum , memineris te esse Dei servum : et , ut servos ejus decet , comede et bibe .

Honora me interdum de tua substan-

tia, mihi aliquam mortificationis hostiam immolando: amen dico tibi, non perdes mercedem tuam.

Sumpta cum sobrietate refectione, nonnisi gratiis actis recede.

Mentem, animumque tuum postmodum honestis colloquiis, licitisque et decentibus oblectamentis relaxa.

Cave a nimia dissolutione, cave a lusibus vetitis, cave a scurrilibus nugis.

Hora statuta, ad cor paulisper redi, et sacras recita vesperas: tum studio, operibusque status tui vaca.

Aliquid quotidie ex sacris Bibliis studiose legere ne omittas.

8. Visitationes quas a te, vel decentia, vel honestas, vel aegrotorum, afflictorum, pauperumque necessitas requirit, horis etiam pomeridianis opportunius ages.

Sanctissimam Virginem Mariam, quam praecipuo cordis affectu prosequi debes, coronae recitatione quotidie cole.

Sub vesperam, me sanctificationem et redemptionem tuam, viatorum consolationem, et Sanctorum aeternam fruitionem, in sanctissimo Sacramento visita.

O fili! ne laici in hoc pietatis genere

te praeveniant, te hominem meum, te amicum meum.

9. Ante coenam, si fieri potest, matutinum et laudes pro crastina die recita; ne officium ad mane sequens dilatum, ab oratione mentali te retrahat, aut etiam, prae ministerio improviso, adhuc ulterius differri debeat.

Piam lectionem vespere facere nunquam negligas. Ad hanc vero selige libros (*), quos cognoveris magis sipirituales, et animae tuae ad majorem perfectionem excitandae magis idoneos.

Orationem serotinam, et quidem in communi, si penes te sit, cum examine generali, in intima animi recollectione persolve.

Ad lectum procedens, sanctas considerationes in animo versa; vel precatiunculas habe: te, cubileque tuum, acqua benedicta asperge: crucis signo te muni.

Beatae Virgini et sanctis Angelis spiritum tuum commenda; et sic in pia cogitatione, et in pace mea requiesce.

(*) Eminent autem inter illos Imitatio Christi, Sanctus Franciscus Salesius, Rodriguez, Ludovicus Granatensis, Laur. Scupolus, Merlo Horstius, Ambrosius a Lombez, et Vitae Sanctorum, praesertim Pontificum et Sacerdotum.

Si per noctem tibi contigerit expergiſci, memor esto mei; adora, et ora.

10. Quoniam, fili, necesse est, prae humana infirmitate, de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere, et aliunde mundari debent, qui ferunt vasa Domini, multoque plus adhuc, qui sacrificium offerunt, saepius ad confessionem accedas. O utinam singulis hebdomadis, seu saltem quindenis!

11. Dixi tibi, fili, semper esto paratus: quia qua hora non putas filius hominis veniet.

Igitur ne obdormias in morte, sed e contra attentius vigiles, statue tibi in quolibet mense diem unum in quo, speciali modo, ad mortem te disponas.

Hac vero die, in secreto cubiculi tui arctius compositus mane.

Meditare de morte; conscientiam diligentius discute; vide quid te angeret, si jam moriendum tibi esset.

Fac quod tunc facere velles: confitere accuratius; dole vehementius; propone firmius.

Corpore meo, quasi ultimo Viatico, refice te; et, tanquam modo moriturus, animam tuam, per preces consuetas, actus-

que praecipuarum virtutum, in manus Patris aeterni commenda.

Sic erunt lumbi tui praecincti: sic feres lucernam ardentem in manu tua: sic eris homo expectans Dominum tuum, quando revertatur a nuptiis, ut confestim aperias ei.

12. O fili! disciplinae istae forsan tibi non videntur esse gaudii, sed moeroris: verum postea tibi per eas exercitato fructus justitiae pacatissimos dabunt.

Stabilis igitur esto, et immobilis in regula et abundabis in opere meo semper.

Demumque, cum judicandus coram me steteris, videbis laborem tuum non fuisse inanem.

Tunc enim centuplum accipies, et vitam aeternam possidebis.

CAPUT LXXX.

De sacro secessu.

1. Nonne dormis in terrae pulvere, fili? Evigila, surge; et illuminabo te. Veni in solitudinem, et loquar ad cor tuum.

Ignem misi in te: at si ligna certo tempore non subjeceris, extinguetur.

In via quae ad vitam ducit te consti-

tui : at nisi passim confortatus fueris et stimulatus , non curres , sed quiesces ; non proficies , sed deficies .

O fili ! quam facile obliviscitur animalis homo eorum quae Dei sunt ! Quam facile infirma caro a primo fervore recedit ! Quam facile emoritur et frigescit spiritus ! Quam facile corruptae naturae cedit!

Quaere igitur aptum tempus vacandi tibi , ut gratiam quam recepisti per manuum impositionem resuscites .

Certe sanctiores te , fortiores te fuerunt maximi Sanctorum ; ipsi tamen sine periodicae recollectionis adminiculo se in prima sua caritate perseverare posse non crediderunt .

In sacro secessu sanctus jam , sanctificabatur adhuc Borrhomaeus : Justus jam , justificabatur adhuc Salesius : purus jam , purificabatur adhuc Ignatius .

Imo , fili , ego ipse , ego Jesus , Deus tuus in deserto per dies quadraginta solitarius volui manere , ut et tu pari modo disceres te sanctificare .

2. Fili , fili , redde tibi ipsi rationem tuae villicationis: recogita non annos pristinos quos in peccatis consumpsisti , et in amaritudine animae tuae jam luxisti , verum annos novos quos in statu Angelico ,

in Sacerdotio et apostolatu percurristi.

Numquid omnia bene fecisti? Nonne saepius habuisti, nonne adhuc habes coelestium rerum nauseam?

Nonne inveteratum orationis teporem? Nonne dissipatae mentis effusionem? Nonne tibi inest vitiosus consueta opera obeundi modus?

Quae tibi tentationum cura et pugna? Quis peccati timor?

O fili! forsan in te vetus homo integer adhuc vivit, et non attendis: forsan multa bona omisisti, et non vides.

Forsan multa mala fecisti, et non observas: forsan in statu gratiae non es, et non formidas.

Forsan graves regulas neglexisti, et parum curas, securus manes et confidis, quia nomen habes quod vivas.

Verum, fili, saepe meliores in aestimatione hominum gravius periclitati sunt propter nimiam suam confidentiam.

Redi ad cor, veni in solitudinem, scope spiritum: ut si odio dignus fueris, amore dignus fias.

3. Dixi tibi, fili: esto perfectus, sicut Pater tuus coelestis perfectus est. Numquid anhelas, fili? Numquid conaris?

Quid de officio ? Quid de ministerio ? Quid de humilitate ? Quid de patientia ? Quid de obedientia ? Quid de carnis mortificatione? Quid praesertim de amore Dei?

Num Deo et proximo vixisti ? Num Dei honori promovendo, saluti proximi procurandae debito modo fuisti intentus ?

Num peccata impedivisti ? Animas pro posse salvasti ? Et si jam moriendum tibi esset, et coram justo judice apparendum, num posses dicere: quae debeam facere, feci ?

O fili ! Veni in solitudinem, ut videas quae defuerunt, et quae videris defuisse suppleas.

Veni, et intelligere te faciam cur post tot Missae celebrationes, quarum unica potuisses te sanctissimum efficere, adhuc sis adeo tepidus: cur post tot Confessiones sis tam parum emendatus: cur post tot gratiarum receptionem sis adhuc adeo pauper.

Videbis, erubesces, confunderis, lugebis, revivisces, sanctiorisque vitae fundamenta jacies.

4. Veni in solitudinem, fili: et ibi non tantum aquam mundam, ut ab omnibus iniquitatibus tuis emunderis, effundam super te, verum etiam gratiarum pretio-

sissimarum flumen, cujus impetus animam tuam laetificabit.

Ibi sublimem aeternarum veritatum cognitionem tibi dabo: ibi meam voluntatem tibi notam faciam: ibi manu victrici tardam tuam naturam ad bonum movebo.

Utique, fili, haec et alia dona in exercitiis spiritualibus invenies: his vero defraudaberis, si sacrum secessum aut neglexeris, aut tepide colueris.

Sicque ingentium meritorum in hac vita, in altera autem graduum gloriae jacturam irreparabilem facies.

5. Verum quidem est, fili: tibi non imposui periodicae hujus recollectionis praeceptum: et idcirco si eam omiseris, non praevaricatus es, non peccasti.

Sed nec peccaverat Joas Rex Israel tribus tantum vicibus jaculo terram percutiendo: iratus tamen est contra eum Eliseus vir Dei, dicens: si percussisses quinquies, aut sexies, sive septies, percussises Syriam usque ad consumptionem.

Sic et ego tibi dico, fili: tu quidem per consuetas orationes, per sacras lectiones, et alia devota exercitia vitia tua percutis: attamen nisi in solitudine recollectus illa per speciale certamen per-

cusseris, forsan usque ad consumptionem illa non percuties.

Quis cognovit sensum meum, fili? Quis mei consiliarius fuit? Dona mea gratis confero.

Et si ego statuerim auxilia specialia, quibus ad tuam sanctificationem indiges, tibi non dare, nisi tu juxta consilium meum te in solitudine per dies recolligeris; certe omissa recollectione hac donis istis privaberis:

Sicque omissio haec, etsi sine culpa, tuae tamen erit perditionis principium.

Cautus igitur esto. Veni in solitudinem, ne ulla boni doni particula te praetereat.

6. Fili, si tibi dicerem: veni in solitudinem, et ego terrenas divitias, mundanos honores super te cumulabo; venires utique, et festinanter venires.

Si tu caecus, vel surdus, vel mutus, vel claudus, vel alias infirmus esses, diceremque: veni in solitudinem, et tibi sensuum ac membrorum usum restituam, mundaberis a lepra, sanaberis ab omni infirmitate.

Certe venires, et festinanter venires, nec per paucos, sed et per multos dies piissime recollectus libenter maneres.

O fili ! o tarde corde ad credendum ! nonne dixi tibi, quia in recollectione anima tua infirma sanabitur, immunda mundabitur, caeca illuminabitur, surda auditum, muta loquelam, clauda gressum accipiet ?

Nonne dixi tibi, quia non tantum sanaberis, sed et sanctificaberis ?

Et quid est sanitas, quid omnis mundanus honor, quid omnes orbis divitiae in conspectu sanctitatis ? Certe arena exigua. Veni ergo, et sequere me in desertum.

7. O fili ! Si multis fratribus tuis Sacerdotibus nunc in purgantibus flammis cruciatis concederetur quod tibi propono, quanta putas alacritate currerent in solitudinem, ut se a delictorum suorum reliquiis in ea purgarent, suamque sanctificationem perficerent !

Quantum gauderent, se modo adeo facili a purgantibus flammis posse liberari !

Eheu ! illi ideo forsan ibi nunc sunt, quia olim in solitudine recolligi noluerunt.

Et tu, fili, forsan aliquando ibi eris, quia exercitiis spiritualibus vacare omiseris.

Lugent, dolent se ea neglexisse; at in

vanum : solvent, solvent usque ad novissimum quadrantem.

Fac igitur nunc quod penes te est; ne sicut isti et tu aliquando in vanum lugeas et doleas, te exercitia spiritualia omisisse.

Age, age, dilectissime: fac nunc quae moriens facta fuisse voles.

Magna certe fiducia tibi erit morituro, quod domui tuae disposueris recollectus in deserto.

CAPUT LXXXI.

De tempore adeundi sacrum secessum, et modo se in eo gerendi.

1. Utique, Domine, ego cognovi, quoniam bonum est mihi ut elongem fugiens, et maneam in solitudine.

Verum, o Deus meus, qui omnia tam suaviter disponis et ordinas, indica mihi tempus opportunum.

Quando, Domine, quandonam debeo venire et apparere in deserto ante faciem tuam, ut induar virtute ex alto.

2. Tunc, fili, tunc, quando te senseris interius a me ad id vocatum. Observa itaque, et audi vocem meam.

Ego enim omnibus loquor, et omnes ad ea quae mihi placent divinitus instigo, modo speciales conscientiae angores immittendo, modo majoris perfectionis desiderium infundendo;

Modo acriori mortis metu terrendo, modo sanctorum quorumdam sociorum exemplum proponendo, modo ad me potentius et dulcius trahendo:

Nunc recollectionis occasionem suppeditando, nunc ad secessum per superiorum vocem invitando.

Si ergo me sic in te clamantem audieris, surge, fili, veni seorsum ad desertum locum, et requiesce pusillum.

Noli negligere gratiam; sed obedi, et sequere me.

3. Tunc etiam aptissime in desertum recedes, fili, quando novum vitae genus auspicaberis, aut de statu eligendo deliberare debebis.

Quando graviori muneri te accinges, aut anxius haerebis quid in certis altioris momenti negotiis concludere expediat.

Non enim tunc consilium, aequitatem, prudentiam et fortitudinem necessariam certius invenies, quam apud me.

Meum est enim consilium et aequitas, mea est prudentia et fortitudo; et ego

loquor ad cor ejus, qui me in solitudine interrogat.

4. Tunc quoque, fili, te utiliter in deserto recolliges, quando te specialis adversitas premet, vexatio urgebit, calamitas cruciabit, necessitas anget.

Apud me enim solitarius invenies consolationes, quae secundum multitudinem dolorum tuorum laetificabunt animam tuam.

Apud me invenies pacem, quam mundus tibi dare nequit, quam inter amicos tuos non reperies.

Sic contristatus, conturbatus, tribulatus secedebat olim David, clamans: ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine.

5. Tunc tandem praesertim secedere debes in desertum, fili, quando te tepore sopitum sentis, quando te per temporalia et terrena dissipatum, et extra te effusum experiris:

Quando te in Confessione languentem, in Communione tepescentem, in oratione frigescentem, super spiritualia nauseantem esse observas: quando te periculosioribus tentationibus infestatum vides,

Tunc, fili, tunc urget secessus necessitas: tunc in mora et dilatione periculum: tunc certissime crede, me ad cordis tui aurem clamare: Veni in solitudinem, fili.

Et tu audiens, ne obdures cor tuum, ne differas; sed continuo surgens, responde fideliter: ecce ego, Domine.

Vocasti me, respondebo tibi: Operi manuum tuarum porrigis dexteram. Ecce ego: Surgo et pergo.

6. Quid mihi est in coelo, Deus meus? Et a te quid volui super terram? Absit, absit a me, bone Domine, ut, cum vocaveris me, renuam.

Utique statim ad vocem clamoris tui surgam festinanter: sumam pennas sicut columbae, et volabo in desertum, et requiescam propter te.

Verum dirige me in veritate tua, et doce me, Deus meus. Indica mihi quid in solitudine me oporteat facere: ego enim sum caecus et sine intellectu.

7. Inclina, fili, aurem tuam et audi. Ante omnia ex corde crede, te exercitiis spiritualibus summopere indigere.

Accede ad ea cum animo liberali et omnimodo parato ad illa quae me de te velle intellexeris, nihil negando, nihil excipiendo, sed totum te offerendo.

Cum autem ingressus fueris recollectionis secessum, memorare primum, quod locus in quo stas, terra sancta sit.

In eo igitur cum majori mentis fervore

et sanctitate opera tua quotidiana perfice.

Caute solitudinem externam per silentium et sensuum custodiam retine; internam vero per attentionem animi collectionem, per ardentiores ad Deum tuum recursus serva.

Auge corporis tui afflictationes: Conscientiam tuam accuratissime discute.

Confessionem vel generalem, vel ab ultima recollectione desumptam perage, non ex consuetudine, sed in spiritu vere contrito et humiliato.

Sic, fili, sic facilius te despicies, quando delicta tua in cumulo respicies: sic melius videbis quantum defeceris, quam parum profeceris.

Sic profundiorem cordis dolorem, sic vehementiorem peccati horrorem concipies.

Sic affectum animo dominantem annotabis, et vitium, quod in te caeterorum defectuum fons est, observabis. –

8. Post haec statue firmiter ea facere in posterum quae facienda, vitare quae vitanda tibi per frequentiores instinctus indicavero; ab illis declinare, quae profectui tuo spirituali obstare cognoveris.

Verum attende ut proposita haec vaga non sint, sed singularia, sed determi-

nata pro loco, tempore, circumstantiis: ea deinde scribe.

Et si observaveris te talia jam fecisse proposita, nec illa executioni demandasse; vide quid te impediverit, et provide tibi, ut obstacula vincas, et juxta proposita tua bene currere ultra non impediaris.

Sic, fili, sic secessus mentem tuam purificabit, reget affectus, diriget actus, corriget excessus, componet mores, vitam honestabit et ordinabit: ita ut nihil in mente tua resideat aut incorrectum; aut correctione egens.

FINIS.

PRAEPARATIO AD MISSAM

EX MISSALI ROMANO.

Antiph. Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum; neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Quae Antiphona duplicatur in Festis Duplicibus tantum, et tempore Paschali additur in fine Alleluja. *Deinde dicuntur sequentes Psalmi.*

Psalmus 83.

Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum, et caro mea: exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum: et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua Domine virtutum: Rex meus, et Deus meus.

Beati qui habitant in domo tua Domine: in saecula saeculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit, in valle lachrymarum, in loco quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator,

ibunt de virtute in virtutem : videbitur Deus deorum in Sion .

Domine Deus virtutum exaudi orationem meam : auribus percipe Deus Jacob .

Protector noster aspice Deus : et respice in faciem Christi tui .

Quia melior est dies una in atriis tuis : super millia .

Elegi abjectus esse in domo Dei mei : magis quam habitare in tabernaculis peccatorum .

Quia misericordiam , et veritatem diligit Deus : gratiam et gloriam dabit Dominus .

Non privabit bonis eos , qui ambulant in innocentia : Domine virtutum , beatus homo qui sperat in te . Gloria Patri , &c.

Psalmus 84.

Benedixisti Domine terram tuam : avertisti captivitatem Jacob .

Remisiti iniquitatem plebis tuae : operuisti omnia peccata eorum .

Mitigasti omnem iram tuam : avertisti ab ira indignationis tuae .

Converte nos Deus salutaris noster : et averte iram tuam a nobis .

Numquid in aeternum irasceris nobis ? aut extendes iram tuam a generatione in generationem ?

Deus tu conversus vivificabis nos: et plebs tua laetabitur in te.

Ostende nobis Domine misericordiam tuam: et salutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos: et in eos qui convertuntur ad cor.

Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius: ut inhabitet gloria in terra nostra.

Misericordia et veritas obviaverunt sibi: justitia, et pax osculatae sunt.

Veritas de terra orta est: et justitia de coelo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem: et terra nostra dabit fructum suum.

Justitia ante eum ambulabit: et ponet in via gressus suos. Gloria Patri.

Psalmus 85.

Inclina Domine aurem tuam, et exaudi me: quoniam inops, et pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: salvum fac servum tuum, Deus meus sperantem in te.

Miserere mei Domine, quoniam ad te clamavi tota die: laetifica animam servi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi.

Quoniam tu Domine suavis, et mitis: et multae misericordiae omnibus invocantibus te.

Auribus percipe Domine orationem meam: et intende voci deprecationis meae.

In die tribulationis meae clamavi ad te: quia exaudisti me.

Non est similis tui in diis Domine: et non est secundum opera tua.

Omnes Gentes quascumque fecisti, venient, et adorabunt coram te Domine: et glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia: tu es Deus solus.

Deduc me Domine in via tua, et ingrediar in veritate tua: laetetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo: et glorificabo nomen tuum in aeternum.

Quia misericordia tua magna est super me: et eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui insurrexerunt super me: et synagoga potentium quaesierunt animam meam: et non proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu Domine Deus miserator et miricors: patiens, et multae misericordiae, et verax,

Respice in me, et miserere mei: da imperium tuum puero tuo et salvum fac filium ancillae tuae.

Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, et confundantur: quoniam tu Domine adjuvisti me, et consolatus es me. Gloria Patri, &c.

Psalmus 115.

Credidi propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino: pro omnibus quae retribuit mihi.

Calicem salutaris accipiam: et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.

O Domine quia ego servus tuus: ego servus tuus, et filius ancillae tuae.

Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus: in atriis domus Domini, in medio tui Jerusalem.

Gloria Patri, &c.

Psalmus 129.

De profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes: in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris Domine: Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: et propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel: ex omnibus iniquitatibus ejus. Gloria Parri, &c.

Antiphona. Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostro: neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Tempore Paschali additur Alleluja.

Postea dicitur.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Ego dixi, Domine, miserere mei.
℟. Sana animam meam, quia peccavi tibi.
℣. Convertere Domine aliquantulum,

℟. Et deprecare super servos tuos.
℣. Fiat misericordia tua Domine super nos.
℟. Quemadmodum speravimus in te.
℣. Sacerdotes tui induantur justitiam.
℟. Et sancti tui exultent.
℣. Ab ocultis meis munda me Domine.
℟. Et ab alienis parce servo tuo.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

Aures tuae pietatis, mitissime Deus, inclina precibus nostris: et gratia sancti Spiritus illumina cor nostrum: ut tuis mysteriis digne ministrare; teque aeterna charitate diligere mereamur.

Deus, cui omne cor patet, et omnis voluntas loquitur; et quem nullum latet secretum, purifica per infusionem sancti Spiritus cogitationes cordis nostri; ut te perfecte diligere, et digne laudare mereamur.

Ure igne sancti Spiritus renes nostros et cor nostrum, Domine, ut tibi casto corpore serviamus, et mundo corde placeamus.

Mentes noſtras, quaesumus Domine, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet: et inducat in omnem, sicut tuus promiſit Filius, veritatem.

Adsit nobis, quaesumus Domine, virtus Spiritus sancti: quae et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adverſis.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti; da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Conscientias nostras quaesumus Domine, visitando purifica: ut veniens Dominus noster Jesus Christus Filius tuus, paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui tecum vivit, &c.

GRATIARUM ACTIO
POST MISSAM.

Antiphona. Trium Puerorum cantemus Hymnum: quem cantabant Sancti in camino ignis, benedicentes Dominum.

Quae Antiphona in Duplicibus tantum duplicatur, et Tempore Paschali additur in fine, Alleluja.

Canticum trium Puerorum.

Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite Angeli Domini Domino: benedicite coeli Domino.

Benedicite aquae omnes, quae super coelos sunt, Domino: benedicite omnes virtutes Domiui Domino.

Benedicite Sol et Luna Domino: benedicite stellae coeli Domino.

Benedicite omnis imber, et ros Domino: benedicite omnes Spiritus Dei Domino.

Benedicite ignis et aestus Domino: benedicite frigus et aestus Domino.

Benedicite rores et pruina, Domino: benedicite gelu et frigus Domino.

Benedicite glacies et nives Domino: benedicite noctes et dies Domino.

Benedicite lux et tenebrae Domino; benedicite fulgura et nubes Domino.

Benedicat terra Dominum: laudet et superexaltet eum in saecula.

Benedicite montes et colles Domino: benedicite universa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino: benedicite maria et flumina Domino.

Benedicite cete, et omnia quae moventur in aquis, Domino: benedicite omnes volucres coeli Domino.

Benedicite omnes bestiae et pecora Domino: benedicite filii hominum Domino!

Benedicat Israel Dominum: laudet et superexaltet eum in saecula.

Benedicite Sacerdotes Domini Domino: benedicite servi Domini Domino.

Benedicite spiritus et animae justorum Domino: benedicite sancti et humiles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Misael Domino: laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu : laudemus et superexaltemus eum in saecula .

Benedictus es Domine, in firmamento coeli : et laudabilis , et gloriosus , et superexaltatus in saecula .

Psalmus 150.

Laudate Dominum in sanctis ejus : laudate eum in firmamento virtutis ejus .

Laudate eum in virtutibus ejus : laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus .

Laudate eum in sono tubae : laudate eum in psalterio et cithara .

Laudate eum in tympano et choro ; laudate eum in chordis et organo .

Laudate eum in cymbalis benesonantibus , laudate eum in cymbalis jubilationis : omnis spiritus laudet Dominum .

Gloria Patri , &c.

Deinde repetitur Antiphona .

Trium Puerorum cantemus Hymnum : quem cantabant Sancti in camino ignis, benedicentes Dominum . *Et tempore Paschali additur in fine* , Alleluja ,

Deinde dicitur .

Kyrie eleyson . Christe eleyson . Kyrie eleyson .

Pater noster , qui es in Coelis , &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua.
℟. Et sancti tui benedicant tibi.
℣. Exultabunt sancti in gloria.
℟. Laetabuntur in cubilibus suis.
℣. Non nobis Domine non nobis.
℟. Sed nomini tuo da gloriam.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

DEUS, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium: concede propitius ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.

ACtiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni, et adjuvando prosequere; ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur.

DA nobis, quaesumus Domine, vitiorum nostrorum flammas extinguere, qui beato Laurentio, tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

QUINQUE PUNCTA

Ante, vel post Missam facienda.

I.

Detestor et abominor, omnia, et singula peccata mea, et omnium aliorum, commissa ab initio mundi, usque in hanc horam et deinceps usque ad finem mundi committenda, et si possem, impedirem per gratiam Dei, quam ideo supplex invoco.

II.

Laudo, et approbo omnia bona opera, facta a principio mundi usque in hanc horam, et deinceps usque in finem mundi facienda, et si possem, ea multiplicarem, per gratiam Dei, quam supplex invoco.

III.

Intendo omnia facere, dicere, et cogitare ad majorem Dei gloriam, cum omnibus illis bonis iutentionibus, quas Sancti umquam habuerunt, vel habebunt, vel habere possunt.

IV.

Ignosco, et dimitto ex toto corde meo, omnibus inimicis meis, omnibus me calumniantibus, omnibus mihi detra-

hentibus, omnibus quocumque modo mihi nocentibus, vel volentibus mala.

V.

Utinam omnes homines salvare possem moriendo pro singulis! libenter id facerem, per gratiam Dei, quam propterea suppliciter imploro, et sine qua nihil possum.

ORATIO

In Dominica fideliter ac devote recitanda, cum summatim confecta fuerit ex diversis orationibus quae in Missali Romano leguntur, diebus Dominicis post Pentecostem.

DEUS a quo bona cuncta procedunt ... sine quo nihil est validum, nihil Sanctum ... cujus est totum quod est optimum ... de cujus munere venit ut tibi digne serviatur ... Deus qui nos in tantis periculis constitutos pro humana scis fragilitate non posse, subsistere ... et conspicis nos omni virtute destitui ... et quia sine te labitur humana mortalitas ... et sine te nihil potest mortalis infirmitas ... da nobis ut qui infirmitatis nostrae conscii ex nulla nostra actione, sed de tua vir-

tute confidimus . . . et qui nec sine te esse nec sine te placere tibi possumus, secundum te vivere valeamus . . . et quae te auctore facienda cognovimus te operante implere valeamus . . . et quae tibi non placent respuentes, tuorum repleamur delectationibus mandatorum . . . Excita Domine, corda nostra . . . Dirige actus nostros, et ad te nostras, etiam rebelles venire compelle propitius voluntates . . . Da nobis et velle, et posse, quae praecipis . . . Praesta auxilium gratiae tuae, ut voluntate tibi, et actione placeamus . . . da nobis Fidei, spei, et charitatis augmentnm, et ut mereamur, assequi quod promittis, fac nos amare, quod praecipis . . . continua nos pietate custodi, qui in sola spe gratiae coelestis innitimur; et da nobis perseverantem in tua voluntate famulatum . . . Et cordibus nostris inviolabilem tuae charitatis affectum, ut desideria de tua inspiratione concepta, nulla possint tentatione mutari . . . Per Dominum nostrum Jesum Christum &c.

PRECES

ANTE ET POST MISSAM (*).

Die Dominica Ante Missam.

1. *Dirige intentionem.* O summe ac potentissime Deus! in laudem et gloriam supremae Majestatis tuae; in memoriam sanctissimae vitae, passionis, ac mortis Jesu Christi, salvatoris mei; in gratiarum actionem, pro omnibus donis et beneficiis tuis, mihi indigno peccatori, et toti Ecclesiae tuae concessis; in propitiationem, pro innumeris peccatis meis, pro salute mea, et proximorum N. N., pro solatio quoque defunctorum N. N. &c. Ego indignus peccator, S. S. Corporis et Sanguinis Filii tui Mysteria recolere, et recipere cupio. Vere, Domine, in te solo totum est, quod satiare possit cordis mei desiderium. Quid enim mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Nonne tu ipse eris merces nostra magna nimis?

(*) *A Merlo Horstio, ac ab aliis egregiis, asceticis viris plerumque mutuatae.*

2. *Actum elice contritionis*. Sed et sacrificium spiritus contribulati tibi, mi Domine, una cum sacrificio et sacramento Corporis et Sanguinis Filii tui, salvatoris mei, humiliter offero. Doleo enim ex intimo corde, quod te Deum meum, summe bonum, et in me tam beneficum, ac toties in sacramento me reficientem, unquam offenderim peccatis meis, praesertim talibus N. et N. quae tu nosti, o! scrutator cordium; sed et miser ego peccator, in amaritudine animae meae, dolens confiteor. Utinam nunquam offendissem te! Sed cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies; tu qui, amore nostri, dedisti nobis Unigenitum tuum, ut nos lavaret a peccatis nostris, in sanguine suo.

3. *Exerce actum Fidei*. Equidem credo firmiter, o bone Jesu! et viva fide confiteor quia tu ipse, Deo Patri aequalis in gloria et potestate, verus Deus et homo, vere et realiter praesens es in hoc Sacramento. Tu enim ipsa veritas dixisti: Hoc est Corpus meum. Credo quidquid dixit Dei Filius: nihil hoc verbo veritatis verius. Adjuva, Domine, incredulitatem meam, adauge mihi fidem.

4. *Exerce Spem.* O Christe Jesu! sum quidem ego pulvis, cinis, et peccator: sed tu, Pater es misericordiarum, et Deus totius consolationis. Quis unquam intellexit misericordias tuas? Nonne tu laborantes et oneratos vocas ad te, ut eos reficias? Nonne tu es refugium meum? Ad quem ergo irem? Tu solus verba vitae aeternae habes: tu solus consolaris me, in omni tribulatione mea. Sum quidem aeger et infirmus; sed tu es salus mea: non est opus bene valentibus medico, sed male habentibus. Si solummodo pertransiens curabas omnes, si umbra Petri curabat infirmos, nónne ego confidere debeo, quia, intrante te sub tectum meum, et in me inhabitante cum plenitudine Divinitatis, sanabor ab infirmitatibus meis?

Igitur, cum nihil, te propitio, mihi conscius sum, surgo et vado ad te Patrem, medicum et refugium meum: sperans quod haec communio futura mihi fidei, spei et caritatis augmentum; contra insidias inimicorum meorum firmissima tuitio; turpium cogitationum effugatio; hujus defectus et vitii N. exterminatio; operum tibi placentium, et praesertim hujus virtutis N. salubris effica-

cia ; et tandem pignus futurae gloriae . Reposita est haec spes mea in sinu meo ; quia miserator et misericors es et in promissis fidelissimus .

5. *Exerce caritatem* . O dulcissime Salvator , Christe , Jesu ! quanta fuit tui vis amoris , quae te traxit e sinu Patris in hanc lacrymarum vallem , ut humanam carnem assumeres : infinitas miserias , injurias , imo crucem mortemque subires : idque solum propter miseros nos homines , et propter nostram salutem !

O quantus amor ! Damnare nos poteras ; et salvare maluisti ! Nos rei eramus ; et tu innocens subis supplicium , ut reos liberes !

Ex amore itaque ad nos in carnem venisti , et demum abiturus ex hoc mundo ad Patrem , in pignus amoris , hoc sacramentum nobis reliquisti ; ut modo prorsus novo et admirabili , semper maneres nobiscum , tu cujus deliciae sunt esse cum filiis hominum .

O Domine ! quantum dignus es amari , qui tanta facis amore nostri ! Diligam itaque te Domine , fortitudo mea , refugium meum , et liberator meus .

O Deus caritas ! Qui in caritate manet , in te manet . Cupio te suscipere in

hoc Sacramento, ut tibi firmius uniar amoris vinculo. Quis me separabit a caritate Christi, Salvatoris mei! Utinam hoc, nec vita, nec mors, nec ulla fortunae sors, aut ulla creatura valeat.

6. *Exerce Humilitatem*. Sed quomodo audeo accedere ad te? nonne tu, o Deus, Dominus, creator ac redemptor meus, Rex Coeli et Terrae, &c. At quis ego? Vilis terrae vermiculus; pulvis et cinis, et, quod indignius est, toties erga te inobediens et ingratus peccator. Vere, Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed memento, Domine, quia cum esses Dominus omnium, assumpta servi forma, venisti ad nos, et familiariter egisti cum publicanis et peccatoribus; denique humiliasti temetipsum usque ad mortem. Illa, quaeso, te moveat humilitas, ut me vilem et humilem non despicias. Sed clementer ad me venias, aut venientem ad te benigne suscipias.

7. *Postula Gratiam*. O Pater aeterne! per merita Filii tui, concede mihi gratiam digne celebrandi Missam, et recipiendi, non solum Sacramentum, sed etiam rem et virtutem sacramenti. Offero tibi humilitatem et sanctitatem gloriosae

semper Virginis Mariae, fervorem et devotionem omnium Sanctorum; ut illorum merita suppleant quidquid mea non valet infirmitas.

Domine Jesu, propitius esto mihi peccatori: et sacris Mysteriis corporis et sanguinis tui fac me ita digne semper uti, ut copiosum inde fructum et robur contra omnes mundi, carnis ac doemonis insidias consequar, vitia, et haec N. N. maxime fugiam; virtutes vero statui meo maxime necessarias, velut caritatem, humilitatem, puritatem, &c. diligentius exerceam, et fidelius tibi in dies servire studeam.

Spiritus sancte, Deus, adsit mihi virtus tua, quae cor meum clementer expurgans, dignum Christo Domino praeparet in me habitaculum; sicut fecit in beata Virgine Maria.

O! Sacratissima Virgo Maria, quae, Spiritu sancto cooperante, Deum et hominem purissimis visceribus concipere et portare meruisti: fac, ut ego eum digne in hoc Sacramento recipere et portare valeam, et ut consequar Spiritum hujus dilecti Filii tui.

O! Sancti Dei omnes, et vos praesertim dilecti Patroni mei, succurrite mihi,

quaeso, precibus vestris apud Deum, ut sic illum nunc in Sacramento possim recipere, ut aliquando eum in propria specie vobiscum merear videre. Fiat, fiat.

Die Dominica post Missam.

8. *Adora et magnifica Dominum*. O Jesu, dulcis hospes! prospere processeris ad hunc pauperculum et humilem servum. Intraveris fauste sub hoc angustissimum et vile tectum. Benedictus et superexaltatus, qui venisti in cor meum oriens ex alto.

O Rex pacifice! Fuga ex animo et corde meo catervas vanarum cogitationum; ut te solum, pacis auctorem, contemplari et diligere queat anima mea. Ecquid, praeter te, o pax, tranquillitas et dulcedo cordis mei, quaerat et gustet anima mea?

O fons amoris perpetui! quomodo potero tui oblivisci, qui mei dignatus es recordari, et te ipsum mihi dare? Fecisti ultra omnem spem, misericordiam cum servo tuo; et ultra omne meritum, gratiam et amicitiam exhibuisti. Quid retribuam tibi, pro gratia ista?

Utinam possem tibi servire cunctis diebus vitae meae! Utinam, vel uno die,

dignum servitium exhibere sufficerem! Vere tu es dignus omni servitio, omni honore et laude aeterna. Vere Dominus meus es, et ego pauper servus tuus qui totis viribus teneor tibi servire, nec unquam in laudibus tuis debeo fastidire. Sic volo, sic desidero; et quidquid mihi deest, tu digneris supplere.

Concede mihi, benignissime Jesu, gratiam tuam, ut mecum sit et mecum laboret, mecumque usque in finem perseveret. Da mihi semper desiderare et velle quod tibi magis acceptum est et carius placet. Tua voluntas mea sit, et mea voluntas tuam semper sequatur, et optime ei concordet. Sit mihi unum velle et nolle tecum, nec aliud posse velle aut nolle, nisi quod tu vis et non vis.

Da mihi omnibus mori quae in mundo sunt, et propter te amare contemni et nesciri in hoc saeculo. Da mihi, super omnia desiderata, in te quiescere; et cor meum in te pacificare. Tu vera pax cordis, tu sola requies: extra te omnia sunt dura et inquieta. In hac pace, in idipsum, hoc est in te uno, summo et aeterno bono, dormiam et requiescam. Amen.

9. *Gratias age*. Quid retribuam tibi,

Domine Jesu, pro omnibus quae retribuisti mihi, praesertim hodie? Sollicitus mei, dedisti mihi Corpus tuum in cibum, et Sanguinem tuum in potum, et utrumque in pignus futurae gloriae. Quis audivit unquam tale? Quis vidit huic simile? Utinam aperiantur labia mea, et repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam et enarrem universa mirabilia tua!

Magnificet anima mea Dominum, tot tantisque affecta beneficiis; et exultet spiritus meus in Deo salutari meo: quia respexit humilitatem servi sui, et fecit mihi magna qui potens est, et esurientem implevit bonis. Laudate Dominum omnes gentes; laudate eum omnes populi: quoniam confirmata est super me misericordia ejus. Laudate eum omnes Angeli ejus; laudate eum omnes virtutes ejus; reges terrae et omnes populi; principes et omnes judices terrae; juvenes et virgines, senes cum junioribus.

Sed et lingua mea, o pie Jesu! meditabitur justitiam tuam, tota die laudem tuam. Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi? Potens es, Domine; et veritas tua in circuitu tuo: magnificus in donis tuis, et sanctus in

omnibus operibus tuis. Jucundum sit tibi eloquium meum; ego vero delectabor in te, et in mandatis tuis exercerbor. Tene manum dexteram, meam et in voluntate tua deduc me, ut aliquando cum gloria suscipias me. Amen.

10. *Offer Deo Patri Filium suum*. Clementissime Pater, qui sic dilexisti me, ut Unigenitum tuum mihi dares in pretium et in cibum, et cum eo omnia: respice in faciem Christi tui in quo tibi bene complaces. Hunc ego dilectum Filium, et cum eo cor meum retribuo tibi, pro his quae hodie retribuisti mihi. Complaceat tibi, Pater, hodie in illo; ac per eum indignationem tuam avertas a me.

Ecce mediator Dei et hominum Christus Jesus, advocatus et pontifex qui interpellat pro me. Hunc ego offero tibi; ipsum, inquam, qui peccatum non fecit, sed tulit peccata mundi, et languores nostros suo livore sanavit. Suscipe igitur, o sancte Pater! hanc immaculatam hostiam, in laudem et gloriam Nominis tui: in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis tuis in me collatis; in remissionem quoque peccatorum meorum, et in supplementum omnium defectuum meorum.

11. *Offer teipsum Christo*. O Domine!

quia ego servus tuus, et filius ancillae tuae; abrenuntio Satanae, et omnibus operibus ejus, et omnibus pompis ejus: tu solus Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum: tu solus pars haereditatis meae et calicis mei, tu es qui restitues haereditatem meam mihi. Suscipe ergo solus universam libertatem meam; accipe memoriam, intellectum atque voluntatem omnem: quidquid habeo, vel possideo, mihi largitus es, id totum tibi restituo, ac tuae prorsus voluntati trado gubernandum: amorem tui solum, cum gratia mihi dones, et dives sum satis, nec quidquam aliud ultra posco.

12. *Postula dona Dei*. Omnipotens sempiterne Deus, conservator animarum, mundique Redemptor, me famulum tuum ante Majestatem tuam prostratum benignissime respice; et sacrificium quod in honorem nominis tui, pro salute fidelium, tam vivorum quam etiam defunctorum, et pro peccatis et offensionibus meis obtuli, piissime respice; iram tuam a me remove, gratiam et misericordiam mihi concede, januam Paradisi mihi pande, ab omnibus malis me potenter eripe; et quidquid proprio commisi reatu, clementer indulge. Sic in hoc saeculo in prae-

ceptis tuis fac me perseverare, ut dignus Electorum gregi copulari efficiar, te praestante, Deus meus, cujus Nomen benedictum, honor atque regnum permanet in saecula saeculorum. Amen.

Domine, qui benedicis benedicentes te, et sanctificas eos qui in te confidunt; salva populum tuum, et benedic haereditati tuae, et custodi Ecclesiae tuae plenitudinem. Sanctifica diligentes decorem domus tuae. Tu eis gloriam retribue, per divinam potentiam tuam; et ne derelinquas, Deus sperantes in te. Aegrotis da auxilium, remedium et consolationem. Peregrinantibus pacem tribue. Aërem tempera. Fructibus terrae benedic. Conserva in pace mundum, Ecclesias, Reges, Sacerdotes et omnem populum tuum. Defunctis requiem praesta; eorumque qui dona obtulerunt, et pro quibus obtulerunt memor esto. Eos qui in quacumque tribulatione et angustia sunt, salva, et nobis gratiam tribue.

13. *Ora B. V. M.* O serenissima et inclyta Mater Domini nostri Jesu Christi Virgo Maria! Regina mundi, quae eumdem Creatorem omnium creaturarum tuo sanctissimo utero fuisti digna portare, cujus idem sacratissimum Corpus et San-

guinem sumpsi, ad ipsum pro me misero peccatore intercedere digneris; ut quidquid in hoc ineffabili Sacramento ignoranter, negligenter, irreverenter et accidentaliter omisi tuis precibus sanctissimis mihi indulgere dignetur, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

14. *Ora omnes Sanctos*. O Sancti Dei omnes! qui in carne viventes, sic Domino servistis, ut jam cum ipso sine fine regnetis: adeste mihi, quaeso, precibus, meritisque vestris; ut Panis ille coelestis et Viaticum divinum quod modo sumpsi; mihi contra omnes infirmitates, pericula et insidias praestet robur et tutamen; ut in fortitudine cibi illius ambulem per hujus mundi desertum, usque ad montem Dei, et ibidem dulcissima illius fruitione vobiscum jugiter gaudeam, et eum una vobiscum laudem per omnia saecula. Amen.

15. *Conclusio*. Anima Christi sanctifica me: Corpus Christi salva me: Sanguis Christi inebria me: Aqua lateris Christi lava me; Passio Christi conforta me. O bone Jesu exaudi me: intrá vulnera tua absconde me: ne permittas me separari a te: ab hoste maligno defende me: in hora mortis meae voca me:

et jube me venire ad te; ut cum Sanctis tuis laudem te in saecula saeculorum. Amen.

Obsecro te, mitissime ac bone Jesu, ut haec immortalis hostia pro me tibi gratias referat, me tibi reconciliet, me tibi restituat, mihique peccatori veniam tribuat, et ad vitam perducat aeternam. Amen.

Feria II. Ante Missam.

16. *Invocatio S. Spiritus*. Veni Sancte Spiritus &c. ℣. Emitte Spiritum tuum &c. *Oremus*. Deus, qui corda fidelium &c.

17. *Actus Contritionis*. Domine Deus meus propitius esto mihi peccatori. Poenitet me peccasse: cupio emendare quod feci. Aufer a me, quaeso, omnes iniquitates meas, ut purificatus mente et corpore valeam ad Sancta Sanctorum introire.

18. *Actus Fidei*. Domine Jesu Christe! qui es Sacerdos in aeternum; quique dixisti: *Caro mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus*; ego credidi quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti, et in hoc Sacramento praesens redderis. Adauge mihi fidem.

19. *Actus Spei*. In te solo spem meam colloco, dulcissime Jesu, quia tu salus et virtus mea, tu refugium et firmamentum meum, tu fons omnium bonorum. Miserere mei, et salva me, qui nunquam deseris sperantes in te.

20. *Actus Caritatis*. O quanta vis amoris cor tuum succendit, amantissime Jesu! cum transiturus de hoc mundo ad Patrem, mensam parasti nobis habentem omne delectamentum, et omnem saporem suavitatis! Pro hac tua ineffabili benignitate, amo te, Deus meus: et ut nunquam cessem amare te, amorem meum te ipso inflamma, qui esca et pabulum amoris es.

21. *Actus Desiderii*. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Salvator meus, Domine Jesu. Trade te mihi, et sufficit. Nam praeter te nulla consolatio valet. Sine te esse nequeo, et sine visitatione tua vivere non valeo.

22. *Actus Humilitatis*. Immense, tremende, potentissime et incomprehensibilis Deus, quis es tu? et quis sum ego; ut digneris venire ad me, mecum epulari, et mansionem apud me facere? Domine non sum dignus ut intres sub tec-

tum meum; sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

23. *Intentionum Directio*. Domine Jesu Christe, in unione illius divinae intentionis, qua ipse in ultima coena, et in Ara crucis, sacrificium Corporis et Sanguinis tui Deo Patri obtulisti, hoc idem sacrificium ei offerre intendo. Complaceat sibi, o Jesu, in te, et per te propitius nobis sit in vitam aeternam.

24. Te precor, Domine Jesu Christe, pro omnibus illis, pro quibus orare decrevi, et quibus sum conjunctus, et qui mihi conjuncti sunt spirituali participatione, consanguinitate, affinitate, familiaritate, commendatione, devotione, eleemosinarum largitione; qui pro me orant, pro quibus debitor sum, et qui se commendarunt orationibus meis; pro cuncto populo christiano, èt pro dioecesi nostra; pro omnibus Praelatis sanctae Romanae Ecclesiae, et universo Clero: ut eos in tuo Sancto servitio humiliter, fideliter et devote perseverare facias; pro omnibus fidelibus christianis, vivis atque defunctis, in quacumque angustia et tribulatione positis: miserere, et tribulatis succurre. Amen.

25. *Deprecatio*. Ad mensam dulcissi-

mi convivii tui, pie Domine Jesu Christe, ego peccator de propriis meritis nihil praesumens, sed de tua confidens misericordia et bonitate, accedere vereor et contremisco. Nam cor et corpus habeo multis criminibus maculatum, mentem et linguam non caute custoditam. Ergo, o pia Deitas! o tremenda Majestas! ego miser inter angustias deprehensus, ad te fontem misericordiae recurro, ad te festino sanandus: sub tuam profectionem fugio, et quem judicem sustinere nequeo, Salvatorem habere suspiro. Tibi, Domine, plagas meas ostendo: tibi verecundiam meam detego. Scio peccata mea multa et magna pro quibus timeo. Spero in misericordias tuas, quarum non est numerus. Respice ergo in me oculis misericordiae tuae, Domine Jesu Christe, Rex aeterne, Deus et homo, crucifixe propter hominem. Exaudi me sperantem in te; miserere mei pleni miseriis et peccatis, tu qui fons miserationis nunquam manare cessabis. Salve, salutaris victima, pro me, et omni humano genere in patibulo crucis oblata. Salve, nobilis et pretiose Sanguis de vulneribus crucifixi Domini mei Jesu Christi profluens, et peccata totius mun-

di abstinens. Recordare, Domine, creaturae tuae quam tuo sanguine redemisti. Poenitet me peccasse: cupio emendare quod feci. Aufer a me, quaeso, clementissime Pater, omnes iniquitates et peccata mea, ut purificatus mente et corpore, digne degustare merear Sancta Sanctorum: et concede ut sancta praelibatio Corporis et Sanguinis tui, quam ego indignus sumere intendo, sit peccatorum meorum remissio, sit delictorum perfecta purgatio, sit turpium cogitationum effugatio, ac bonorum sensuum regeneratio, operumque tibi placentium salubris efficacia, animae quoque et corporis contra inimicorum meorum insidias firmissima tuitio. Amen.

26. *Ad B. V. M.* Per te accessum habeamus ad Filium, o benedicta virgo Maria; et per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. O Domina nostra, mediatrix nostra, Advocata nostra! tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repraesenta. Fac, o benedicta! per gratiam quam invenisti per praerogativam quam meruisti, per misericordiam quam peperisti, ut qui, te mediante, fieri dignatus est particeps infirmitatis et miseriae nostrae, te quo-

que intercedente, participes faciat nos gloriae et beatitudinis suae Jesus Christus, Filius tuus, Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Amen.

27. *Ad Sanctos*. Sancti Dei omnes, cives supernae patriae; succurrite infirmitati meae, fidem meam et spem roborate, excitate in me igniculum amoris vestri: induite me veste nuptiali, ornate me donis quibus abundatis; ut sine rubore introire valeam in locum tabernaculi admirabilis, in aulam coelestis convivii, in conspectu divinae Majestatis. Amen.

Feria II. post Missam.

28. *Pii affectus*. Ecce, Domine, jam habeo te qui habes omnia. Possideo te qui potes et possides omnia. Ergo, o Deus meus et omnia, abstrahe cor meum a caeteris omnibus extra te, in quibus nihil nisi vanitas et afflictio spiritus. In te uno fixum sit cor meum, in te sit requies mea, ubi est thesaurus meus, summa veritas, vera felicitas et felix aeternitas.

Sentiat, o Jesu! mens mea dulcedinem praesentiae tuae: gustet quam sua-

vis sis, Domine, ut inescata amore tui, nihil quaerat extra te, unde gaudeat; quia tu es gaudium cordis mei, et pars mea, Deus in aeternum.

Tu es medicus animae meae, qui languores nostros tuo livore sanasti. Ego vero sum infirmus ille, ad quem sanandum, de coelo venisti. Itaque sana animam meam, quia peccavit tibi.

Tu es Pastor meus, qui posuisti animam tuam pro ovibus tuis. Ecce ego ovis illa quae perierat, et tamen dignaris me pascere Corpore et Sanguine tuo: suscipe me nunc in humeros tuos. Quid negabis mihi, qui te ipsum dedisti? Rege me et nihil mihi deerit, in loco pascuae, ubi me collocasti; donec ad pascua vitae aeternae perducar.

O lux vera! quae illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, illumina oculos meos; ne unquam obdormiam in morte.

O ignis jugiter ardens, et nunquam deficiens! ecce me tepidum et frigidum: ure renes meos et cor meum, ut ardeant amore tui. Ignem enim venisti mittere in terram; et quid vis, nisi ut accendatur?

O Rex coeli et terrae, dives in mi-

sericordia! ecce ego egenus et pauper sum: tu nosti ubi magis egeam; tu solus meditare et juvare potes. Deus adjuva me, et ex thesauris bonitatis tuae succurre inopi animae meae.

O Dominus meus et Deus meus! ecce servus tuus sum ego: da mihi intellectum et excita affectum, ut sciam et faciam voluntatem tuam.

Tu es Agnus Dei, Agnus sine macula, qui tollis peccata mundi: tolle de me quod mihi nocet et tibi displicet: et da quod nosti tibi placere, et mihi prodesse. Tu es amor meus et omne gaudium. Tu es Deus meus et omnia. Tu es pars haereditatis meae et calicis mei. Tu es qui restitues haereditatem meam mihi.

O Deus meus et omnia! absorbeat, quaeso, mentem meam vis ignita et melliflua amoris tui: ut amore amoris tui mundo moriar, qui amore mei dignatus es in cruce mori, o Deus meus et omnia. Amen.

29. *Gratiarum Actio et Oblatio*. Quis sum ego, Bonitas infinita, ut me sacris altaribus adstare volueris, tibique offerre de donis tuis sanctum Sacrificium, Hostiam immaculatam? Unde inveni hanc gratiam in oculis tuis, ut ostenderes in

me divitias misericordiae tuae? Venite et audite, omnes Angeli et Sancti Dei, et narrabo vobis quanta fecit Dominus animae meae. Nam cum essem abjectus in domo mea, de pulvere erexit me, et constituit me cum principibus populi sui, ut comederem panem et biberem vinum in mensa sua, omnibus diebus vitae meae. Quas ego tibi gratias agam, clementissime Jesu, Salvator mundi? aut quid retribuam tibi pro omnibus quae retribuisti mihi? Vere enim de te, sponso Ecclesiae, illud Canticorum intelligitur: *Si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione, quasi nihil despiciet eam*. Tu omnia quae habes mihi largitus es; Corpus, Sanguinem, Animam et Divinitatem tuam: et si ego tribuam tibi omnem substantiam domus meae, corpus, animam et libertatem, cum omnibus quae nunc habeo vel habere possum, hoc quasi nihilum reputabitur, in comparatione immensi et inaestimabilis doni tui. Tantum tibi debeo, quantum ipse vales, qui infinitus es: ideo debitum meum omnem facultatem meam excedit. Audeo tamen rogare te, ne despicias munusculum quod tibi offero in simplicitate cordis mei, dicens cum sponsa:

Dilectus meus mihi et ego illi. Nam sicut tu totum tu mihi tradidisti in nutrimentum animae meae: ita ego me totum servituti tuae consecro; et quidquid habeo, quidquid sum, quidquid possum, tibi penitus trado; ut me totum tibi vindices, nec quidquam mei superesse mihi patiaris.

30. *Petitio pro se*. Concede mihi, quaeso, omnipotens et misericors Deus, quae tibi placita sunt ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere, et perfecte adimplere.

Ad laudem et gloriam Nominis tui ordina statum meum, et quod a me requiris ut faciam, tribue ut sciam, possim et velim; et da exequi sicut oportet, et expedit saluti animae meae.

Via mihi, quaeso, ad te sit tuta, recta et consummata, non deficiens inter prospera et adversa: ut in illis non extollar, et in istis non deprimar. In prosperis gratias tibi referam, et in adversis servem patientiam; de nullo gaudeam vel doleam, nisi quod promoveat ad te, vel quod abducat a te. Nulli placere appetam, vel displicere timeam, nisi tibi.

Omnia in caritate da facere; et quod ad cultum tuum non pertinet, quasi mortuum reputare,

Vilescant mihi omnia transitoria propter te, et cara mihi sint omnia tua, et tu, Deus meus, plus quam omnia. Delectet me omnis labor qui est pro te: et taediosa sit mihi omnis quies quae non est in te.

Frequenter et ferventer, da mihi, dulcissime Domine, cor meum ad te dirigere, et defectionem meam cum emendationis proposito dolendo pensare.

Fac me, Deus meus, humilem sine fictione, hilarem sine dissolutione, tristem sine dejectione, maturum sine gravitate, agilem sine levitate, veracem sine duplicitate, timentem sine desperatione, in te sperantem sine praesumptione, castum sine corruptione; Da proximum corripere sine indignatione, ipsumque aedificare verbo et exemplo sine elatione; Fac me tandem obedientem sine contradictione, patientem sine murmuratione.

Da mihi, dulcissime Jesu, cor pervigil, quod nulla a te abducat curiosa cogitatio: da immobile, quod nulla deorsum trahat indigna affectio: da invictum, quod nulla fatiget tribulatio: da liberum, quod nulla sibi vindicet violenta delectatio: da rectum, quod nulla seorsum obliquet sinistra intentio.

Largire mihi, dulcissime Deus meus, intellectum te cognoscentem, diligentiam te quaerentem, sapientiam te invenientem, conversationem tibi placentem, perseverantiam te dulciter et fiducialiter expectantem, fiduciam te fideliter amplectentem. Da tuis poenis configi per poenitentiam, tuis beneficiis uti in vita per gratiam, et tandem tuis gaudiis in patria frui per gloriam. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

31. *Petitio pro aliis*. Domine, qui benedicis benedicentes te, et sanctificas eos qui in te confidunt, salva populum tuum, et benedic haereditati tuae, et custodi Ecclesiae tuae plenitudinem. Sanctifica diligentes decorem domus tuae. Tu eis gloriam retribue per divinam potentiam tuam, et ne derelinquas, Deus, sperantes in te. Aegrotis da auxilium, remedium et consolationem. Peregrinantibus pacem tribue. Aërem tempera. Fructibus terrae benedic. Conserva in pace mundum, Ecclesias, Reges, Sacerdotes et omnem populum tuum. Defunctis requiem praesta; eorumque qui dona obtulerunt, et pro quibus obtulerunt, memor esto. Eos qui in quacumque tribulatione et an-

gustia sunt, salva: et nobis gratiam tribue. Per préces et orationes quas faciet pro nobis Domina omnium nostrum, Mater Dei, diva et sancta Maria, et sancti Michael, Gabriel et Raphael, omnesque coelestes Ordines. Per orationes Patriarcharum et Prophetarum, Dominorumque Patrum, Apostolorum et omnium Martyrum, omnis chori cruce signatorum, Justorum piorum, sapientum Virginum, et loci istius sancti Protectoris. Veniat benedictio eorum, caritas eorum, patientia eorum, auxilium eorum: et benedictio Salvatoris nostri boni sit cum omnibus nobis usque in aeternum. Amen.

Conclusio. Omnipotens Sempiterne Deus, Conservator animarum, mundique redemptor, me famulum tuum ante, majestatem tuam prostratum benignissime respice, et Sacrificium quod in honore nominis tui pro salute fidelium, tam vivorum quam etiam defunctorum, et pro peccatis et offensionibus meis obtuli, piissime respice, iram tuam a me remove, gratiam et misericordiam mihi concede, januam paradisi mihi pande, ab omnibus malis me potenter eripe, et quidquid proprio commisi reatu, clementer indulge. Sic in hoc saeculo in praeceptis tuis fac me

perseverare, ut dignus electorum gregi copulari efficiar, te praestante, Deus meus, cujus nomen benedictum, honor atque regnum permanet in saecula saeculorum. Amen.

Feria III. ante Missam.

33. *Adora et Gratias age.* O dulcissime Salvator, Christe Jesu! adoro te in toto corde meo; gratias ago tibi ex intimis visceribus animae meae, quod tanta caritate nos misere perditos redemeris pretio Sanguinis tui; et in hujus amoris tui memoriam, necnon in pignus futurae gloriae, tam admirabili potentia, sapientia et bonitate dederis nobis in cibum et potum ipsum Corpus et Sanguinem tuum; denique ad haec divina Mysteria, me vilissimum peccatorem in numerum tuorum Sacerdotum tua ineffabili clementia vocare dignatus sis.

34. *Confundere.* Sed eheu! infelix ego homo, qui hactenus tam indigne vocatione tua vixi, et toties, et tam graviter te Deum meum offendi peccatis meis, praesertim his N. N. At nunc de iis doleo ex intimo corde meo, ob amorem tui super omnia; et deinceps tibi soli servire, placere et adhaerere propono.

35. *Offer*. Proindeque nunc accedens ad mensam convivii tui, ex omni affectu cordis mei dignissimum sacrificium Corporis et Sanguinis tui, quod tu ipse semel pro nobis in ara Crucis obtulisti, pura et simplici intentione offero ad laudem et gloriam aeternae Majestatis tuae, in memoriam sacratissimae incarnationis, vitae, passionis et mortis tuae; in gratiarum actionem pro omnibus donis et beneficiis toti coetui Electorum et mihi, licet indignissimo, hucusque praestitis, vel unquam praestandis: in propitiationem peccatorum: pro salute quoque vivorum NN. et solatio defunctorum NN. Et utinam ex omni affectu, fervore et desiderio amicorum tuorum, seu jam regnantium in coelo, vel adhuc militantium in terris, hoc tam grande pietatis opus peragere possem!

36. *Crede*. Corde siquidem credo, mi Jesu, et ore confiteor, quia Pater aeternus, Deus seipso summe beatus, potens, perfectus et nullius egens, secundum suam infinitam misericordiam sic dilexit mundum, ut te Filium suum unigenitum nobis daret Salvatorem. Credo quoque, quod tu ipse Patri aequalis per

omnia, ex vi immensae caritatis tuae, de sinu Patris descendisti in uterum Virginis, et propter nos homines Homo factus es. Credo quod ex amore nostri hoc Sacramentum in ultima coena instituens, verum Corpus et Sanguinem tuum, id est teipsum nobis ad manducandum dedisti; et denique Patri tuo factus obediens usque ad mortem, temetipsum pro nobis hostiam in ara Crucis obtulistis.

37. *Spera*. Ideoque spero in te, et magna fiducia venio ad te, o Domine, qui nostri causa tam mira facere, et tam dira pati voluisti. Quid enim negabis, qui sic amasti, ut teipsum dares?

38. *Ama*. Amo te quoque, o bone Jesu! ex tota virtute cordis mei et semper deinceps et in aeternum amabo, si tu dederis.

39. *Offer teipsum*. Sed quid retribuam tibi, Domine, pro tanto munere, et pro omnibus quae retribuisti mihi? Ecce abnego memetipsum, et totum me; id est corpus, animam, et omnia mea in omne beneplacitum benignissimae voluntatis tuae plene resigno. Verum quid habeo, quod non acceperim? Quid est homo, si comparetur Factori suo? Quid vilis creatura; vermis terrae, miser peccator, servus

inutilis, poterit praestare Deo, Creatori ac Domino suo? Agnosco quia pauper et inops sum: ideoque humilio me sub potenti manu tua. Tu vero, o Domine Jesu! ut pote advocatus et mediator meus, dives in meritis et miserationibus, suscipe causam meam et ex thesauro immensae caritatis tuae fer opem inopiae meae; et pretium Sanguinis tui, omniumque meritorum tuorum repraesenta aeterno Patri tuo; et hinc supple omnem defectum meum, praecipue hujus meae heu! nimis modicae et imperfectae praeparationis qua ad haec SS. Mysteria venio: ut sic ei per te placeat obsequium indignissimae servitutis meae.

40. *Postula*. Fac etiam, o bone Jesu! per omnes miserationes tuas, ut hoc tremendum Mysterium et admirabile donum caritatis tuae: debita semper fide, reverentia et gratitudine prosequar, idque puro et ardenti corde nunc et semper recipiam, statum hunc quoque sacerdotalem ad quem me ex singulari gratia vocare dignatus es, caritate, castitate, humilitate, mansuetudine, patientia, sobrietate &c. moribusque tibi placitis, et sacerdote fideli dignis excolere studeam: idque, ut servitus mea magis tibi pla-

ceat ad majorem gloriam tuam, Ecclesiae utilitatem, et propriam proximique salutem. Unde tandem supplex obsecro, ut per virtutem Corporis et sanguinis tui abstrahas cor meum efficaciter ab omnibus noxiis affectibus, N. N. qui gustum ac fructum hujus sacramenti impediunt, et intime tibi unias et incorpores: ut gustem quam suavis sis, Domine, et unus tecum efficiar spiritus: ut tu in me, et ego in te maneam; adeoque nihil sit quod me unquam valeat separare a te. Nam tibi adhaerere, mihi bonum est, &c Quid enim mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? O pars mea, Deus, in aeternum!

41. *Invoca Sanctos*. Ad vos quoque, o Sancti amici Dei, supplex confugio. Te imprimis, o Sanctissima Dei Mater, Virgo et patrona mea, quae gratia plena, Deum et hominem purissimis visceribus tuis meruisti portare. Et vos, o Sancti N. et N. Patroni, mihi singulariter electi et dilecti, vos modo videtis illum facie ad faciem, et pleno ore manducatis panem illum, quem nonnisi per speculum in aenigmate aspicimus, et speciebus velatum accipimus. Utinam vestro interventu adjutus, hoc coelesti pane et viatico di-

gne saepius reficiar in via, ut tandem vobiscum eo satiari merear in Patria. Amen.

Feria III: post Missam.

42. *Exulta Domino*. Inveni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam. Te mi, Jesu, amplector. Te amor et gaudium meum, obtineo. Te cordis mei thesaurum comprehendo, in quo omnia possideo. De omnibus necessitatibus meis erue me, Domine; et fac, ut tam plene tibi sim, quam tu mihi. Tu es, o Jesu! creator et plasmator meus; cor mundum crea in me, et spiritum rectum innova in visceribus meis. Tu es Rex et Dominus meus; Posside me, et nemo praeter te. Tu es Doctor et Magister meus; bonitatem et disciplinam et scientiam doce me. Tu es Advocatus meus apud Deum Patrem; fac ut avertat iram suam a me. Tu es qui venturus es judicare vivos et mortuos: ne intres in judicium cum servo tuo. Tu es dilectus meus Sponsus; desponsa me tibi in misericordia et miserationibus. Tu dux et defensor meus; pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me. Tu Victima pro me factus es; in Domino spe-

rans non infirmabor. Tu Salvator et Redemptor meus es; consumma opus tuum; et labor tuus non sit cassus. Tu es pars haereditatis meae, et portio mea in terra viventium; haereditatem meam restitue mihi. Tu es gloria mea, corona et merces nostra magna nimis; admitte me in bona Domini, quae praeparasti diligentibus te. O Jesu! o piissime Jesu, o Jesu, Fili Mariae Virginis! infunde in me gratiam, sapientiam, caritatem, castitatem, humilitatem; ut possim te perfecte diligere, te laudare, te perfrui, tibi servire, et in te gloriari, nunc et in perpetuum. Amen.

43. *Jubila Deo Salutari tuo*. Quam pulcher es, dilecte mi, dilecte votorum meorum, Christe Jesu! Quam pulcher es! Quam bonus et amabilis! O unicae deliciae meae! o vita mea! o gaudium meum! o suavitas summa! o Deus meus et omnia! ad te suspiro, clamo, anhelo. Complector et amo te totis praecordiorum affectibus; quia tu es Deus, ipsissima bonitas, amor aeternus, sapientia inexhausta, potentia infinita, perfectio absoluta. Ecquid tandem me poteris separare a caritate tua? an voluptas brevis, opes caducae, honores falsi, nugae nugarum?

Nec illae, nec istae facient, o bone Jesu! mihi enim adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Adjuva me, pie Jesu, in sancto proposito meo; promissionum mearum ne me sinas unquam oblivisci. Sit mihi sacratissimum Sacramentum tuum contra omnium peccatorum meorum vulnera efficacissimum medicamentum ac omnis gratiae et virtutis complementum: sit contra omnia mala et pericula validissimum tutamentum, aeternaeque beatitudinis solidissimum fulcimentum. Amen.

44 *Gratias age*. O clementissime Salvator, Christe Jesu! quam suavis es et mitis, et multae misericordiae omnibus invocantibus te! Cum enim non essemus, divina potentia creasti nos: cum inimici tui essemus, e coelo veniens, mira sapientia redemisti nos; et quia sine te tam corpore, quam spiritu, vivere, moveri et esse non possumus, immensa bonitate tua, tot Sacramentis et auxiliis gratiae, nos usque conservas; imo Corpus et Sanguinem tuum, id est teipsum modo prorsus admirabili, in hoc Sacramento largiris. O caritas! o pietas! o novum et grande mysterium!

Tu, Deus meus, dignaris ne ad me

venire? Rex ac Dominus summae maiestatis, ad infimum servum? Deus ad hominem, Creator ad creaturam? Unde hoc mihi, ut tu, Domine, venias ad me? O Deus et Dominus noster! quam admirabile est Nomen tuum in universa terra! Et quis narrabit potentias tuas, et auditas faciet omnes laudes tuas? Ego quidem, etsi omnia membra mea verterentur in linguas, et omnes vitae mea respirationes in tui laudes et gratiarum actiones: attamen longe minor essem cunctis miserationibus tuis. Unde agnoscens insufficientiam meam, id unum votis omnibus exopto, ut omnes creaturae tuae mecum, et pro me, laudent et benedicant nomen tuum in aeternum.

45. *Offer*. O Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui ex abundantia infinitae caritatis tuae, dedisti mihi unigenitum Filium tuum! en ego, miser peccator, nunc particeps factus Corporis et Sanguinis ejus; illum in pectore meo complectens, et tanquam rem meam intime mihi conjunctam possidens: illum ipsum, in unione caritatis, qua seipsum dedit in ara crucis, tibi offero. Ecce hic est thesaurus, Pater clementissime, in quo totam meam spem reposui: hae sunt

divitiae, quas offero in satisfactionem debitorum meorum.

Respice, pie Pater, in faciem Christi tui; et cum sit hic Filius tuus dilectus, in quo tibi bene semper complacuit, qui mihi nunc intime conjunctus est, supplex rogo ut me quoque aspicias oculis misericordiae tuae. Sub ejus protectione ac tutela, sub umbra meritorum ipsius, compareo coram te; ut illum praecipue intuens, me quoque clementer ac benigne respicias, tanquam mancipium ejus, ac servum perpetuum.

Ne permittas, obsecro, ut pereat illa anima, quae toties in se recipit Filium tuum, qui, a te missus, venit in mundum quaerere et salvum facere quod perierat. Hoc praesta mihi, per infinitam misericordiam tuam. Amen.

46. *Invoca Dominum*. Sit, quaeso, Domine, haec praecellentissima hostia, quam tibi modo obtuli, in plenam emendationem, expiationem, atque satisfactionem pro omnibus peccatis et negligentiis meis, et pro peccatis totius mundi. Per illam instaura omnes ruinas meas spirituales, et supple omnem inopiam meam. Per illam, mortifica in me quidquid tibi displicet, et effice me hominem secun-

dum cor tuum. Per illam conforma spiritum, animam et corpus meum, spiritui, animae et corpori sacrae Humanitatis tuae, meque totum luce Divinitatis tuae illustra. Per illam largire ut in te stabiliar, te perfecte et perseveranter diligam, intime tibi uniar, ac totus in te transmuter, ad laudem Nominis tui quod invocatum est super nos.

Converte, Domine, miseros peccatores; revoca haereticos atque schismaticos: illumina infideles te ignorantes: adesto omnibus qui in necessitate et tribulatione aliqua constituti sunt: adesto his qui se meis precibus commendarunt aut commendati esse cupiunt: adesto parentibus, propinquis et benefactoribus meis, vivis et defunctis. Miserere omnium pro quibus orare debeo, et tu rogari vis: da vivis veniam et gratiam: da fidelibus defunctis requiem, lucemque sempiternam. Tibi laus, Christe Jesu, in saecula saeculorum. Amen.

47. *Ora B. V. M.* O Maria Virgo, et Mater sanctissima! ecce suscepi dilectissimum Filium tuum quem immaculato utero tuo concepisti, genuisti, lactasti atque sanctissimis amplexibus strinxisti. Ecce cujus aspectu laetabaris, omnibus

deliciis replebaris, illum ipsum tibi humiliter et amanter repraesento et offero tuis purissimis brachiis amplexandum, toto corde amandum, sanctissimae Trinitati in supremum latriae cultum, pro tui ipsius honore et gloria, et pro meis, totiusque mundi necessitatibus offerendum. Tu maternam vim apud Deum obtines, et fieri non potest ut non exaudiaris. Sit igitur pietatis tuae, ipsam qua apud eum vales, gratiam notam facere mundo; sanctis tuis precibus obtinendo reis veniam, medelam aegris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adiutorium et liberationem. Amen.

48. *Ora omnes Sanctos.* Omnes Sancti et Sanctae Dei, consolatio pauperculae animae meae, vos praesertim Patroni, et Protectores mei, aspicite Magistrum, Auctorem, et praemium sanctitatis vestrae, ac universam vestram felicitatem, intra viscera mea manentem: mihique ab ipso, cui vos tantopere verbo ex exemplo, in hac vita conformastis, vestris intercessionibus impetrare, ut vestra semper vestigia sequar, et ut ad scopum mihi propositae perfectionis, ac tandem plenus meritis, ad vestrum merear consortium pervenire.

49 *Conclusio*. Recedo a te modicum, Domine Jesu, sed non sine te, consolatio, felicitas, et omne bonum animae meae; et me amantissimo cordi tuo, cum omnibus fratribus, amicis et inimicis meis, humillime commendo. Ama nos, Domine, et transforma quam simillime in te. Totus occuper in te et propter te; nihilque sit objectum verborum meorum, actionumque mearum internarum et externarum, nisi tu, amor meus, qui vivis et regnas per omnia saecula saeculorum. Amen.

Feria IV. ante Missam.

50. *Directio intentionis*, Domine Deus, ego indignus servus tuus intendo hoc mane, quam maximo possumus amoris, reverentiae et devotionis affectu, Sanctissimum Missae Sacrificium Majestati tuae, cui soli debetur, offere, juxta ritum Sanctae Romanae Ecclesiae; et ex nunc offero illud, una cum omnibus Sacrificiis tibi gratissimis, simulque pretium Sanguinis Domini Jesu, merita Beatae Virginis, et omnium Sanctorum, totiusque Ecclesiae preces et laudes; in unione illius Sacrificii quod Christus in ultima coena

instituit, et in cruce consummavit, factus ipse Sacerdos et Victima; affectu et nomine ejusdem Domini nostri Jesu Christi, et ejus Sponsae Ecclesiae; ex puro tui amore, ac desiderio tui beneplaciti semper et in omnibus perficiendi.

Offero tibi illud in protestationem supremae et increatae tuae excellentiae, dominii tui in omnes creaturas, et nostrae subjectionis ac dependentiae a te: in gratiarum actionem omnium beneficiorum ulli unquam creaturae collatorum et conferendorum; in plenam abolitionem omnis injuriae ab ullo unquam tibi irrogatae vel inferendae; ac in cultum latriae tibi soli debitum, cum omnibus adorationibus Christi, Beatae Virginis, et omnium Angelorum et Sanctorum: item in augmentum gaudii Humanitatis Domini nostri Jesu Christi; in memoriam vitae et passionis ejusdem, et in augmentum gloriae ac beatitudinis immaculatae Virginis, omniumque Angelorum et Sanctorum.

Offero etiam illud in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis mihi collatis; in satisfactionem pro peccatis meis, de quibus summopere doleo, propter offensam et injuriam quam tibi irrogavi:

et pro omnibus meis praesentibus et futuris animae et corporis necessitatibus.

Offero demum pro omnibus vivis atque defunctis, pro quibus Dominus noster Jesus Christus et Beata Virgo ejus Mater sciunt et volunt ut sacrificem: pro parentibus, amicis, consanguineis, ac benefactoribus meis; pro omni gradu sanctae Catholicae Ecclesiae; pro Christianorum Principum unione, Haeresum et Schismatum extirpatione, omnium infidelium nationum conversione, pro totius cleri et omnium statuum religiosorum sanctificatione, conservatione et augmento: pro animarum in Purgatorio existentium liberatione; maxime autem pro N. N. qui eleemosinam dederunt aut reliquerunt, ut secundum eorum voluntatem hanc Missam celebrarem, quibus intendo hunc fructum applicare, quantum scis me posse vel debere.

Respice ergo in me indignissimum famulum tuum, quem pro vivis et defunctis legatione apud te fungi voluisti; ut defunctis requiem indulgeas, et vivis veniam, gratiamque concedas tibi recte fideliterque serviendi, et in amore tuo usque in finem perseverandi. Amen.

51. *Actus praecipuarum virtutum*. Cre-

do in te, Deus, prima veritas, propter increatam auctoritatem tuam. Adoro te, propter increatam excellentiam tuam. Spero in te, propter immensam misericordiam tuam. Amo te propter summam bonitatem et amabilitatem tuam. Confundor et erubesco quod te, bono infinito, non contentus, exigua et apparentia bona quaesierim. Doleo de peccatis meis propter te, quem super omnia diligo; et paratus tibi in hac vita satisfacere, propono, te adiuvante, plenam et perfectam emendationem. Tibi gratias ago pro universis, quibus me cumulare non cessas, beneficiis. Quidquid habeo vel possideo, id tibi totum restituo, ac tuae prorsus voluntati trado gubernandum. Omnibus, qui me offenderunt, toto corde ignosco propter amorem tuum. Rogo te per sanctissimam Filii tui passionem, miserere animae meae in egressu suo; et perduc eam, omnibus sacramentis munitam, in vitam aeternam. Amen.

52. *Invocatio*. Omnipotens sempiterne Deus, ecce accedo ad sacramentum unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi: accedo tanquam infirmus ad medicum vitae, immundus ad fontem mise-

ricordiae, coecus ad lumen claritatis aeternae, pauper et egenus ad Dominum coeli et terrae. Rogo ergo immensae largitatis tuae abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lavare foeditatem, illuminare coecitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem; ut panem angelorum, Regem regum, Dominum dominantium tanta suscipiam reverentia et humilitate, tanta contritione et devotione, tanta puritate et fide, tali proposito et intentione, sicut expedit saluti animae meae. Da mihi, quaeso, Dominici Corporis et Sanguinis non solum suscipere sacramentum, sed etiam rem et virtutem sacramenti. O mitissime Deus, da mihi Corpus unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, quod traxit de virgine Maria, sic suscipere, ut corpori suo mystico merear incorporari, et inter ejus membra connumerari. O amantissime Pater! concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via suscipere propono, revelata tandem facie perpetuo contemplari. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

53. *Ad B. V. M.* O Mater pietatis

et misericordiae, beatissima Virgo Maria, ego miser et indignus peccator, ad te confugio toto corde et affectu, et precor pietatem tuam, ut sicut dulcissimo Filio tuo in cruce pendenti adstitisti, ita et mihi misero peccatori, et Sacerdotibus omnibus, hic et in tota sancta Ecclesia hodie offerentibus, clementer assistere digneris: ut tua gratia adjuti, dignam et acceptabilem Hostiam in conspectu summae et individuae Trinitatis offerre valeamus. Amen.

54. *Ad Sanctos*. O Sancti et Sanctae Dei! quorum hodie memoriam in terris celebramus, ego miser et indignus peccator, de vestris meritis confidens intendo hoc mane offere sanctissimum sacrificium Corporis et Sanguinis D.N.J.C. pro vestro honore et gloria. Precor vos humiliter et devote ut pro me hodie intercedere dignemini, quatenus tantum sacrificium digne et acceptabiliter offerre valeam et Deum vobiscum ac cum omnibus electis ejus in aeternum laudare merear. Amen.

55. *Adoratio*. Adoro te supplex latens Deitas
Quae sub his figuris vere latitas:
Tibi se cor meum totum subjicit,
Quia te contemplans totum deficit.
Visus, tactus, gustus in te fallitur,
Sed auditu solo tuto creditur.
Credo quidquid dixit Dei Filius,
Nihil hoc verbo veritatis verius.
In Cruce latebat sola Deitas,
At hic latet simul et humanitas:
Ambo tamen credens atque confitens,
Peto quod petivit latro poenitens.
Plagas sicut Thomas non intueor,
Deum tamen meum te confiteor,
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere.
O memoriale mortis Domini!
Panis vivus vitam praestans homini,
Praesta meae menti de te vivere,
Et te illi semper dulce sapere.
Pie pellicane, Jesu Domine,
Me immundum munda tuo sanguine,
Cujus una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere.
Jesu quem velatum nunc aspicio,
Oro, fiat illud quod tam sitio,

Ut te revelata cernens facie,
Visu sim beatus tuae gloriae. Amen.

56. *Gratiarum Actio*. Gratias ago tibi, benigne Domine, benefactor animae meae, quod me modo dignum fecisti coelestium tuorum et immortalium Mysteriorum. Sed quid retribuam tibi? Vere minor sum omnibus donis tuis. O clementissime Deus! accipe igitur laudes et gratiarum actiones quas Filius tuus Salvator noster in assumpta humanitate, ab instanti Incarnationis, toto vitae suae decursu persolvit: et illas praecipue, cum instituens hoc Sacramentum, et quasi jam tunc agnoscens impares nos esse gratiis tanto beneficio referendis, elevatis oculis in coelum, ad te Deum Patrem suum omnipotentem omnium nostrum nomine tibi gratias egit.

Suscipe etiam, o mitissime Pater, illas gratiarum actiones quas B. V unigeniti Filii tui Mater tibi obtulit, quando eum quem ego ipse jam inclusum pectori mei complector, ipsa suis castissimis visceribus concepit, gestavit et peperit; necnon et illas quas toto vitae suae tempore, et potissimum quoties jam sublatum in coelos in Sacramento recepit, ex ardenti cordis desiderio et intima devotione persolvit.

Benedicant quoque et laudent te omnes angelici Spiritus qui throno majestatis tuae jugiter et trementes assistunt, et cantant incessabili voce dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Desidero quoque ex toto corde, ut omnes Sancti et amici tui, tecum modo regnantes in coelis, quorum communionem credimus, meam insufficientiam compensent suis dignissimis laudibus quas unquam hic in terris in usu et veneratione hujus Sacramenti devotissime obtulerunt; et quas tibi modo decantant, cum revelata facie comedunt panem vitae, et torrente voluptatis tuae potantur. Participem me fac, Deus, omnium timentium te et custodientium mandata tua.

O! utinam pariter omnium piorum fidelium affectus, fervores, et omnia tibi in terris placentium vota, desideria et merita in me unum colligere possem; et sic tota animi intentione te amare et honorare pro tanto amore et honore quo me in hoc Sacramento dignatus es.

57. *Postulatio*. Credo, Domine, sed credam firmius. Spero, Domine, sed sperem securius. Amo, Domine, sed amem ardentius. Doleo, Domine; sed doleam vehementius.

Adoro te ut primum principium: desidero ut finem ultimum: laudo ut benefactorem perpetuum: invoco ut defensorem propitium.

Tua me sapientia dirige, justitia contine, clementia solare, potentia protege.

Offero tibi, Deus, cogitanda, ut sint ad te; dicenda ut sint de te, facienda, ut sint secundum te; ferenda, ut sint propter te.

Volo quidquid vis; volo, quia vis; volo, quomodo vis; volo, quandiu vis.

Oro, Domine, intellectum illumines; voluntatem inflammes; corpus emundes; animam sanctifices.

A superbia non inficiar; adulatione non afficiar; a mundo non decipiar; a Satana non circumveniar.

Gratiam praesta memoriam purgandi, linguam fraenandi, oculos cohibendi, sensus coercendi.

Defleam praeteritas iniquitates; repellam futuras tentationes; corrigam vitiosas propensiones; excolam idoneas virtutes.

Tribue mihi, bone Deus, amorem tui, odium mei, zelum proximi, contemptum mundi.

Studeam superioribus obedire, inferio-

ribus subvenire, amicis consulere, nemini invidere.

Meminerim, o Jesu! mandati tui et exempli, inimicos diligendo, injurias sufferendo, persequentibus benefaciendo, pro calumniantibus orando.

Vincam voluptatem austeritate, avaritiam largitate, iracundiam lenitate, tepiditatem pietate.

Redde me prudentem in consiliis, constantem in periculis, patientem in adversis, humilem in prosperis.

Fac, Domine, ut sim in oratione attentus, in epulis sobrius, in munere sedulus, in proposito firmus.

Curem habere sanctitatem interiorem, modestiam exteriorem, conversationem exemplarem, vitam regularem.

Naturae invigilem domandae, gratiae fovendae, legi servandae, saluti promerendae.

Sanctimoniam assequar sincera peccatorum confessione, fervida Corporis Christi communione, continua mentis recollectione, pura cordis intentione.

Discam a te, Deus, quam tenue, quod terrenum; quam grande, quod divinum; quam breve, quod temporaneum; quam durabile, quod aeternum.

Da, mortem praeveniam, judicium pertimeam; infernum effugiam, paradiſum obtineam. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

58. *Deprecatio pro aliorum neceſſitatibus*. O Domine, cujus viscera misericordiae patent omnibus, qui neminem vis perire, sed omnes homines salvos fieri, ideoque pro omnibus mortem subiisti, et hoc sacramentum instituisti, da, quaeso, Sacerdotibus concordiam et innocentiam; Regibus et Principibus tranquillitatem et pacem; Virginibus castitatem; Deo dicatis continentiam; Conjugatis sanctimoniam; Poenitentibus indulgentiam; Justis perseverantiam; peccatoribus, ut mihi misero, veniam; viduis et orphanis sustentationem; pauperibus protectionem; peregrinantibus reditum; lugentibus consolationem; omnibus denique fidelibus christianis, vivis atque defunctis, gratiam et vitam sempiternam. Amen.

59. *Ad B. V. M.* O Domina mea, Sancta Maria, me in tuam benedictam fidem, ac singularem custodiam, et in sinum misericordiae tuae, hodie et quotidie, et in hora exitus mei, animam meam et corpus meum tibi commendo;

omnem, spem et consolationem meam, omnes angustias et miserias meas, vitam et finem vitae meae tibi committo: ut per tuam sanctam intercessionem, et per tua merita, omnia mea dirigantur et disponantur opera secundum tuam tuique voluntatem. Amen.

60. *Ad Sanctos*. O Sancti, Sanctaeque Dei omnes, et beati Spiritus Angelici, quos Deus vultu suo semper laetificat; orare pro me non dedignemini. Saluto et veneror vos, sincerasque Domino gratias ago, qui vos elegit, et in suis benedictionibus praevenit. Eia, impetrate mihi veniam, impetrate gratiam, et perfectam cum Deo unionem. Amen.

61. *Conclusio*. Deus, cuius misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus, piissimae majestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes; ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad praemia futura disponas. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Preces ex Imitatione Christi decerptae.

62. *Admiratio*. Audivi vocem tuam, Domine: venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. O Sancte Sanctorum! ecce tu inclinas te ad me; tu vis esse mecum; tu invitas ad convivium tuum; tu mihi dare vis coelestem cibum et panem angelorum ad manducandum: non alium sane quam te ipsum, panem vivum qui de coelo descendisti, et das vitam mundo.

63. *Laudatio*. O invisibilis conditor mundi, Deus! quam mirabiliter agis nobiscum! quam suaviter et gratiose cum electis tuis disponis, quibus temetipsum in Sacramento sumendum proponis! Laetare, anima mea, et gratias age Deo, pro tam nobili munere et solatio singulari, in hac lacrimarum valle tibi relicto.

64. *Timor*. Terrent me, Domine, delicta propria; et ad capienda tanta mysteria, me reverberat impura conscientia mea. Provocat me dulcedo verborum tuorum; sed onerat me multitudo vitiorum meorum. Quis ego sum, Domine, ut ad te praesumam accedere?

Quomodo ausus ero venire ad te, qui nihil boni mihi conscius sum, unde possim praesumere? Quomodo te introducam in domum meam, qui saepius offendi benignissimam faciem tuam quam reverentur Angeli et Archangeli, quam metuunt sancti et justi?

65. *Contritio*. Peccavi, Domine, peccavi: miserere mei, ignosce mihi. Quid possum agere pro peccatis meis, nisi humiliter ea confitendo, et lamentando, et tuam propitiationem ardenter deprecando? Deprecor te, exaudi me propitius, Deus meus. Omnia peccata mea mihi maxime displicent: nolo ea unquam amplius perpetrare: sed pro eis doleo et dolebo, quandiu vixero. Dimitte mihi peccata mea propter Nomen sanctum tuum. Ecce committo me misericordiae tuae; resigno me manibus tuis. Tu omnia delicta mea quae, a die quo primum peccare potui, usque ad horam hanc commisi, pariter incende et combure igne caritatis tuae; dele universas maculas eorum; conscientiam meam ab omni delicto emunda, et restitue mihi gratiam tuam quam peccando amisi, omnia mihi plene indulgendo, et in osculum pacis me misericorditer assumendo.

66. *Fides*. Credo et confiteor, quia tu praesens es in altaris Sacramento, Deus meus, Sanctus sanctorum, Creator omnium, et Dominus angelorum. Quidquid intelligere non valeo, tibi Deo omnipotenti secure commendo: non fallis me, Deus meus. Et si talia essent opera tua, ut facile ab humana ratione caperentur; non essent mirabilia nec ineffabilia dicenda. O quam admirabilis operatio tua, Domine! quam potens virtus tua! quam ineffabilis veritas tua! Dixisti enim, et facta sunt omnia; et hoc factum est quod ipse jussisti.

67. *Spes*. Super bonitate tua, et magna misericordia tua, Domine, confisus, accedo aeger ad Salvatorem, esuriens et sitiens ad fontem vitae, egenus ad Regem coeli, Servus ad Dominum, creatura ad Creatorem, desolatus ad meum pium consolatorem: sperans quod in hoc Sacramento mihi conferatur spiritualis gratia, et reparabitur in anima mea virtus amissa, et per peccatum deformata redibit pulchritudo, et demum conservabitur cor meum et corpus immaculatum.

68. *Caritas*. O Dilecte mi! da me pro

te omnes dilectos relinquere, et te solum super omnia amare, et te mihi viventi et morienti amicum retinere. Esse sine te, gravis est infernus; et esse tecum, dulcis paradisus. O thesaurus bonus! O bonum super omne bonum! O Deus meus, et omnia! Intelligenti satis dictum est, et saepe repetere jucundum est amanti. Purifica, laetifica, clarifica, et vivifica spiritum meum cum suis potentiis ad inhaerendum tibi jubilosis excessibus.

96. *Desiderium*. Ecce Domine, in te est totum, quod desiderare possum et debeo. Tu salus mea et redemptio, spes et fortitudo, decus et gloria. Desidero te nunc devote ac reverenter suscipere. Cupio te in domum meam inducere; quatenus cum Zachaeo merear a te benedici; ac inter filios Abrahae computari. Anima mea corpus tuum concupiscit: cor meum tecum uniri desiderat. Noli avertere faciem tuam a me; noli visitationem tuam prolongare: noli consolationem tuam abstrahere. Veni, Domine, veni ad pauperculum tuum, et laetum fac eum; veni, et satia me tua praesentia. Quamdiu hoc datum non fuerit, nec plenum gaudium erit.

70. *Invocatio.* O! beatiſſima gratia, quae pauperem ſpiritu virtutibus divitem facis, veni, deſcende ad me, reple me nunc conſolatione tua; ne deficiat, prae ariditate mentis, anima mea. Obſecro, Domine Deus meus, praeveni ſervum tuum in benedictionibus dulcedinis tuae; ut ad tuum magnificum Sacramentum digne ac devote merear accedere. Excita cor meum in te, et a gravi torpore exue me. Quidquid mihi deeſt, Jeſu bone, Salvator ſanctiſſime, tu pro me ſupple benigne ac gratioſe. Da pauperi mendico tuo vel interdum modicum de cordiali affectu amoris tui in ſacra communione ſentire; ut fides mea magis convaleſcat, ſpes in bonitate tua proficiat, et caritas ſemel perfecte accenſa, et coeleſte manna experta, nunquam deficiat.

71. *Oratio ad B. V. M.* O intemerata et in aeternum benedicta, ſingularis atque incomparabilis Virgo, Dei genitrix Maria, gratiſſimum Dei templum, Spiritus ſancti ſacrarium, janua regni coelorum, per quam, poſt Deum, totus vivit orbis terrarum! Inclina, Mater miſericordiae, aures tuae bonitatis indignis ſupplicationibus meis, et eſto mihi

miserrimo peccatori pia et propitia in omnibus auxiliatrix; et in hac praesertim hora, qua dilectum Filium tuum, Dominum nostrum Jesum Christum, aeterno Patri oblaturus sum, ut nempe eum digne et acceptabiliter offerre valeam, Amen.

72. *Ad omnes Angelos et Sanctos*. Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes Principatus, Potestates, Virtutes coelorum, Cherubim atque Seraphim, omnes Sancti et Sanctae Dei, imprimis dilecti Patroni, intercedere dignemini pro humili servo vestro, ut hoc Sacrificium Deo omnipotenti digne valeam offerre, ad laudem et gloriam Nominis sui, ad utilitatem meam, totiusque Ecclesiae suae sanctae. Amen.

73. *Directio Intentionis*. Ego volo Missam celebrare, et conficere Corpus et Sanguinem D. N. J. C. juxta ritum sanctae romanae Ecclesiae: ad laudem omnipotentis Dei, totiusque Curiae triumphantis, ad utilitatem meam, totiusque Ecclesiae militantis et patientis, pro omnibus qui se commendaverunt orationibus meis, in genere et in specie; et pro felici statu sanctae romanae Ecclesiae. Amen.

Gaudium cum pace, emendationem vitae, spatium verae poenitentiae, gratiam et consolationem sancti Spiritus, perseverantiam in bonis operibus, cor contritum et humiliatum, atque felicem vitae meae consummationem tribuat mihi omnipotens et misericors Dominus. Amen.

Fer. V. post Missam.

Preces ex Imitatione Christi decerptae.

74. *Admiratio*. O dilecte mi, electe ex millibus, in quo complacuit animae meae habitare omnibus diebus vitae suae! O pacifice mi, in quo pax summa, requies vera! O Deus abscondite, cujus sermo cum humilibus! O vere ineffabilis gratia tua! O vere admirabilis dignatio tua! O amor immensus, animae meae singulariter impensus! O Jesu! quanta est dulcendo in convivio tuo! O quam dulce mihi foret in praesentia tua, ex intimo affectu, lacrymas fundere, et cum pia Magdalena pedes tuos lacrymis irrigare! Certe in conspectu tuo, et sanctorum Angelorum tuorum, totum cor meum ardere deberet, et ex gaudio flere. O quam magnum suscepi Dominum!

Quam dilectum induxi hospitem! Quam jucundum recepi socium! Quam fidelem acceptavi amicum! Quam speciosum et nobilem amplector sponsum! O Jesu bone! sileant a facie tua coelum et terra, et omnis ornatus eorum. Mane in secreto, anima mea, et fruere Deo tuo: ipsum enim habes, quem totus mundus tibi auferre non potest.

75. *Laudatio*. O dulcissime Salvator! Laudent te universi populi, tribus et linguae, et sanctum ac mellifluum Nomen tuum, cum summa jubilatione et ardenti devotione magnificent. Ecce omnium devotorum cordium jubilationes, spirituales affectus, mentales excessus, ac supernaturales illuminationes, et coelicas visiones tibi offero et exhibeo, cum omnibus virtutibus et laudibus, ab omni creatura in coelo et in terra celebratis et celebrandis. Accipe vota mea, Domine Deus meus, et desideria infinitae laudationis, ac immensae benedictionis, quae tibi secundum multitudinem ineffabilis magnitudinis tuae, jure debentur. Haec tibi reddo et reddere desidero, per singulos dies et momenta temporum.

76. *Gratitudo*. O benignissime Jesu! quanta tibi gratiarum actio pro suscep-

tione sacri Corporis tui debetur, cujus dignitatem nullus hominum explicare potens invenitur! Gratias tibi, o Pastor aeterne! qui me pauperem et exulem dignatus es pretioso Corpore et Sanguine tuo reficere. O! quid retribuam tibi, Domine, pro gratia ista, pro caritate tam eximia? Non est aliud quod gratius dare queam, quam ut cor meum tibi Deo meo totaliter tribuam, et intime conjungam. Dignare, Domine, manere mecum: ego volo libenter esse tecum. Hoc est totum desiderium meum, ut cor meum sit tibi unitum.

77. *Oblatio*. Sicut igitur tu, Domine, teipsum, expansis in cruce manibus et nudo corpore, pro peccatis meis Deo Patri sponte obtulisti, ita ut nihil in te remaneret, quin totum in sacrificium divinae placationis transiret: ita et ego meipsum tibi voluntarie in oblationem puram et sanctam, cum omnibus viribus et affectibus meis, quanto intimius valeo, offero. O Domine! rogo te in simplicitate cordis mei, suscipe me tibi in servum sempiternum, in obsequium et sacrificium laudis pespetuae; suscipe me cum hac sancta oblatione tui pretiosi Corporis, quam tibi modo, in praesen-

tia Angelorum invisibiliter assistentium, obtuli pro me, et pro cuncto populo tuo in salutem.

78. *Petitio pro se*. Praesta, Domine Deus, Salutaris meus, ut cum frequentatione Mysterii crescat meae devotionis affectus. Salva animam meam quam pretioso sanguine tuo redemisti. Age mecum secundum bonitatem tuam, non secundum meam malitiam et iniquitatem. Vide omnia bona mea, quam pauca sint et imperfecta; illa emenda et sanctifica: ea grata habe, et accepta tibi fac, et semper ad meliora trahe. Me quoque pigrum et inutilem homuncionem ad laudabilem perduc finem.

O dulcissime atque amantissime Jesu! ecce sto ante te, pauper et nudus, gratiam postulans, et misericordiam implorans. Accende frigiditatem meam igne amoris tui: verte mihi omnia terrena in amaritudinem; omnia infima et creata in contemptum et oblivionem. Tu solus mihi ex hoc jam dulcescas usque in saeculum. Utinam me totaliter ex tua praesentia accendas, comburas, et in te transmutes; ut unus tecum efficiar spiritus, per gratiam internae unionis, et liquefactionem ardentis amoris! Operare, Domine,

mecum misericorditer, sicut saepius operatus es cum sanctis tuis mirabiliter. O ignis semper ardens et numquam deficiens! O amor corda purificans, et intellectum illuminans.

79. *Petitio pro aliis*. Intuere quoque, benignissime Jesu, pia desideria devotorum, necessitates parentum, amicorum, fratrum, sororum, omniumque carorum meorum, et eorum qui mihi vel aliis propter amorem tuum benefecerunt, et qui orationes et missas, pro se, suisque omnibus dici a me desideraverunt et petierunt, sive in carne adhuc vivant, sive jam saeculo defuncti sint; ut omnes sibi auxilium gratiae, opem consolationis, protectionem a periculis, liberationem a poenis advenire sentiant; et ut ab omnibus malis erepti, gratias tibi magnificas laeti persolvant.

Offero etiam tibi preces et hostias placationis, pro illis specialiter, qui me in aliquo laeserunt, contristaverunt aut vituperaverunt, vel aliquod damnum vel gravamen intulerunt; pro his quoque omnibus quos aliquando contristavi, conturbavi, gravavi, scandalizavi, verbis, factis, scienter aut ignoranter; ut nobis omnibus pariter indulgeas peccata nostra, et mutuas offensiones.

Aufer, Domine, a cordibus nostris omnem suspicionem, indignationem, iram et disceptationem, et quidquid potest caritatem laedere, et fraternam dilectionem minuere. Miserere, miserere, Domine, misericordiam tuam poscentibus; da gratiam indigentibus, et fac nos tales existere, ut simus digni gratia tua perfrui, et ad vitam proficiamus aeternam. Amen.

80. *Oratio ad B. V. M.* Commendo me tibi, serenissima, vereque inclyta Virgo Maria, coeli, terraeque Regina, quae in tuis sacratissimis visceribus eumdem Dominum et omnium Creatorem quem ego modo suscepi, de Spiritu sancto conceptum, digne portasti; precor te Matrem Dei sanctissimam, ut pro me apud eumdem Filium tuum intercedas; et quidquid, quacumque ratione, in summi hujus Sacramenti celebratione deliqui, hujus negligentiae et indignitatis meae veniam mihi impetres. Tu semper casta, pura, innocens, post conceptum Filium etiam castior, purior, sanctior, Deoque gratior evasisti: utinam et ego tam divini Sacramenti perceptione ita sanctificer, ut deinceps cor et corpus meum ab omni lethalis peccati macula tuear impollutum.

Tu, concepto Filio tuo de Spiritu sancto, magnificas laudes decantasti, et in Deo Salutari tuo mirabiliter exultasti; fac meritis et precibus tuis, Virgo Mater, ut cum hac sacra communione novum et ardentem spiritum conjungam, ac semper in gratiarum actione pie verser; tantoque redemptori et hospiti me nunquam ingratum exhibeam, sed fidelem in omnibus servum ac ministrum. Amen.

81. *Oratio ad omnes Sanctos*. Felices Sancti, qui jam nostrae mortalitatis pelagum pertransistis, securi de vestra immarcessibili gloria: solliciti estote de mea multiplici miseria: date manus infirmo, coelestis patriae Cives, et erigite jacentem, ut convalescens de infirmitate, fortis efficiar in bello. Ad me respicite, Gens illustrissima, et haereditas summi Dei, adhuc peregrinantem in hoc exilio, et mittite de coelo opem et consolationem. Circumdate me gaudentem et exultantem de vestra beatitudine; et gratiam impetrate virtutes vestras imitandi: ut vestris suffragiis adjutus, particeps fiam vestri gaudii et coronae. Amen.

82. *Conclusio*. Nunc dimittis, Domine Jesu, servum tuum in pace: tu vero ne elongeris a me, Deus meus; in auxi-

lium meum respice, quoniam insurgent in me per diem variae cogitationes, vim mihi facient variae tentationes. Da ut pertranseam illaesus; da ut perfringam eas. Pugna fortiter pro me, et expugna malas bestias, concupiscentias dico illecebrosas. Impera ventis et tempestatibus; dic mari, quiesce; et aquiloni, ne flaveris: et erit tranquillitas magna. Benedic et sanctifica me benedictione coelesti. Protege et conserva animam servuli tui, inter tot discrimina vitae corruptibilis; ac comitante gratia tua, dirige per viam pacis ad Patriam perpetuae claritatis. Amen.

Feria VI. ante Missam.

23. *Postulatio Gratiae.* Deus qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, a Judaeis reprobari, a Juda próditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad caedem duci, atque conspectibus Annae, Caiphae, Pilati et Herodis indecenter offerri, a falsis testibus accusari, flagellis et opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis caedi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, cruci clavis

affigi, in cruce levari, inter latrones deputari, felle et aceto potari, et lancea vulnerari: Tu, Domine, per has sanctissimas poenas tuas quas ego indignus recolo, et per sanctam Crucem, et Mortem tuam, in cujus memoriam et gratiarum actionem Sacrificium offerre volo; libera me a peccatis meis: ut sancte et acceptabiliter Altari tuo assistam. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

84. *Contritio*. O dulcissime Deus, Creator ac Salvator meus, doleo ex intimo corde, quod unquam offenderim te Dominum ac Deum meum, te quem amare debeo super omnia, quia et super omnia bonus es, et plurima mihi bona tribuisti: et eheu! infelix et ingratus ego peccator, non retribui, nisi mala pro bonis.

Verum propitius esto peccatis meis, Domine: nunc enim firmiter statuo ac propono non amplius te offendere, omnesque peccandi occasiones fugere; ideoque nunc hoc Sacramentum sumere cupio, ut in amore tui confirmer, et contra omnes peccandi occasiones muniar, ut tu in me, et ego in te maneam.

85. *Actus Virtutum*. O Sapientia in-

finita ! o aeterna Veritas ! o Bonitas immensa ! quae nec falli, nec fallere potes : credo in te, et credo tibi in omnibus quae revelasti, et per ecclesiam mihi credenda proponis . Imprimis vero, credo te in sanctissimo hoc Sacramento esse praesentem ; prout apertis verbis asseruisti, quibus plus tribuo quam ingenio meo, omnibusque sensibus . Pro hac fide, per tuam gratiam mori sum paratus .

Spero in te, o bonitas infinita ! teque per inexhaustam misericordiam tuam, veniam, gratiam et gloriam mihi promissam daturum confido .

Amo et amabo te, et omnia quae tu amas, propter te, o fons infinite omnis boni : quia tu omni amore dignus es .

Gaudeo de infinita perfectione, beatitudine et amabilitate tua, et de omni obsequio, laude, honore et gloria tibi ab electis tuis et creaturis omnibus unquam redditis, et in aeternum reddendis . Te, tuumque in omnibus beneplacitum amplector ; omnique possibili reverentiae, fiduciae, amoris et pietatis affectu veneror et exosculor .

Quidquid in me est affectus erga creaturas, in te solum transfero . Quid-

quid egero in omnem aeternitatem, aut passus fuero cedat ad tuam gloriam. Totus tuus sum: fac de me quidquid vis, nunc et in aeternum. Amen.

86. *Directio intentionis*. Ad laudem et gloriam Sanctissimae Trinitatis, in memoriam Salvatoris nostri Jesu Christi, Vitae, Passionis, Mortis et Resurrectionis, ac in operum et meritorum suorum, omniumque Sanctorum unionem: ad laudem quoque et exaltationem beatissimae Virginis Mariae, coelestium Angelorum, Sanctorum atque Sanctarum, et signanter N.N. et aliorum Sanctorum, offero etiam cum ipsorum beatorum Spirituum laudibus, Sanctorumque omnium precibus et meritis, nunc et semper, hoc et omnia alia sacrificia, officia, orationes, et bona opera totius mundi, pro meis, praesentibus et futuris animae et corporis necessitatibus, in auxilium et consolationem meam, et in remissionem omnium peccatorum meorum quorum veram contritionem semper habere intendo, conor et cupio: pro salute quoque meorum parentum et consanguineorum, amicorum, inimicorum, benefactorum in spiritualibus et temporalibus, ac illorum quibus fui gravamen, scandalum et occasio peccandi: pro omni

gradu sanctae catholicae ecclesiae, ac illius conservatione, augmento et exaltatione, christianorum Principum unione, haeresum extirpatione, Summi Pontificis salute, et animarum in purgatorio existentium liberatione, pro exaltatione et augmento catholicae Religionis et omnium Ecclesiasticorum ordinum; pro conversione omnium infidelium; pro mihi commissis et commendatis: denique pro illis omnibus vivis atque defunctis, pro quibus Dominus noster Jesus Christus scit et vult me debere orare et sacrificare: sic oro et obsecro, ac orare, obsecrare et sacrificare intendo, atque propono, juxta intentionem sanctae Catholicae Ecclesiae, ego N. minister licet indignus. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

87. *Oratio ad Spiritum sanctum*. Spiritus gratiae et misericordiae, Spiritus, sancte Deus, ecce accedo ad sanctum altare, locum terribilem et metuendum: sed quia sine te non possum in ministrando gratus apparere, tu me, quaeso, virtute et operatione tua ad digne sacrificandum praepara. Illabere igitur in cor meum, et me dignum effice. Veni, mundator scelerum, curator vulnerum, veni, sanctissime Spiritus, et aufer a me quid-

quid tibi, Patri et Filio in me displicet; et infunde carismatum tuorum pretiosissima dona, quibus adjutus, et sancte celebrare valeam, et postmodum secundum voluntatem Jesu vivere.

88. *Ad B. V. M.* Gloriosissima Mater Dei, Virgo Maria, tota fiducia mea, et unicum solatium languentis animae meae, precor te, ut mihi miserrimo peccatori assistere hac hora digneris, qua pretiosissimum Filii tui Corpus et Sanguinem aeterno Patri oblaturus sum; sicut amans ac dolens eidem Filio tuo in cruce pendenti, et se pro nostra salute offerenti adstitisti. Ne me despicias, Mater misericordiae, ob intolerabilem peccatorum meorum foeditatem, neque avertas faciem tuam a me, quem Filius tuus tanto amore dilexit, ut pro me mori dignatus sit.

89. *Ad omnes Sanctos*. Omnes Sancti et Sanctae Dei, qui beatifica jam visione aspicitis, honoratis et adoratis, quem nos hic interim, non nisi sub speciebus et quasi in aenigmate videmus; orate pro me, ut per salutiferum hujus sacramenti usum, vestro semel dignus consortio inveniri merear.

90. *Pii Affectus*. O Jesu bone! quid mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Jam plenum est desiderium meum, plenum gaudium cordis mei: quia tu es plenitudo mea, omne bonum et desiderium meum. Refice, Domine, esurientem animam meam: accende frigiditatem meam igne amoris tui: illumina coecitatem meam claritate praesentiae tuae. Verte mihi omnia terrena in amaritudinem; omnia infirma et creata, in contemptum et oblivionem. Erige cor meum ad te in coelum, et ne permittas me vagari super terram. Penetret, quaeso, hujus sacramenti virtus omnia intima mea: et quidquid in me pravum, quidquid vitiosum est, mortificet et eradicet. In te, Jesu suavissime, sit omnis delectatio mea; taedeat me gaudii quod est sine te; amara sit mihi omnis quies, quae non est in te. Emitte ex te, benignissime jesu, amoris tui radios, qui me succedant, et quidquid terrenum in me est comburant et consumant: ut igne inextinguibili caritatis tuae ardeam, et vetus in me homo totus deficiat. Utinam me rapiat ignita vis amoris tui, quae me transformet in te, et

in te absorbeat, ac me tecum unum efficiat.

91. *Actus Amoris*. O Deus! ego amo te: nec tantum amo te, ut salves me, aut quia non amantes te aeterno punis igne; sed praesertim amo te propter Te. Tu, tu, mi Jesu, totum me amplexus es in cruce: tulisti clavos, lanceam multamque ignominiam, innumeros dolores, sudores et angores, ac mortem; et haec propter me, ac pro me peccatore. Cur igitur non amem te, o Jesu amantissime? sicut tu amasti me, sic amem te, et solum quia Rex meus es, et solum quia Deus es.

92. *Gratiarum actio*. Gratias tibi ago, Domine sancte Pater Omnipotens, aeterne Deus, qui me peccatorem indignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiae tuae, satiare dignatus es pretioso Corpore et Sanguine Filii tui, Domini nostri, Jesu Christi: et precor, ut haec sancta communio non sit mihi reatus ad poenam, sed intercessio salutaris ad veniam. Sit mihi armatura fidei, et scutum bonae voluntatis. Sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiae ac libidinis exterminatio, caritatis et patientiae, humilitatis et obedientiae, omniumque virtutum augmenta-

tio; contra insidias inimicorum omnium tam visibilium, quam invisibilium, firma defensio; motuum meorum, tam carnalium quam spiritualium, perfecta quietatio; in te uno ac vero Deo firma adhaesio, atque finis mei felix consummatio. Et precor te ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris, ubi tu cum Filio tuo et Spiritu sancto, sanctis tuis es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, jucunditas consummata, et felicitas perfecta. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

93. *Oblatio*. Protector meus aspice, Deus, et respice in faciem Christi tui. En Filius tuus ita se mihi communicavit, ut ego in illo, et ille in me sit: en factus est unum mecum, et ego unum cum illo. Ipsum igitur tibi offero, Pater amantissime, ut thymiama suavissimi odoris, ad maximam tui gloriam et honorem, in gratiarum actionem pro universis beneficiis tuis; in remissionem peccatorum meorum, et totius mundi; ad impetrandum mihi et omnibus pro quibus oravi et orare debeo, omnia subsidia vitae temporalis et aeternae; et pro animabus omnium fidelium defunctorum. Su-

scipe Domine, cum hac sacratissima oblatione animam meam et corpus meum, omnes vires et affectus meos, ut sim perpetuum holocaustum jugiter ardens Majestati tuae, Praesta, ut deinceps nec membra, nec sensus, nec potentias, nec vitam habeam, nisi ut te amem, et serviam tibi.

94. *Reparatio injuriarum*. O Jesu patientissime! qui innumeris contumeliis in Sacramento tuo afficieris, detestor et abominor ex toto corde meo omnes illas tibi illatas a peccatoribus injurias. Obsecro te per ineffabilem sacratissimi tui Cordis caritatem, ut pro illis sis apud omnipotentem Patrem tuum propitiatio. Accende in me, o Jesu! per Corporis tui praesentiam, zelum urentem; ut et commissa sacrilegia plangere, et committenda avertere satagam.

95. *Invocatio*. Transfige, dulcissime Domine Jesu, medullas et viscera animae meae suavissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere, vera, serenaque et apostolica sanctissima caritate: ut langueat et liquefiat anima mea solo semper amore et desiderio tui; te concupiscat, et deficiat in atria tua; cupiat dissolvi, et esse tecum. Da, ut anima mea te esuriat, pa-

nem Angelorum, refectionem animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum, supersubstantialem, habentem omnem dulcedinem et saporem, et omne delectamentum suavitatis; te in quem desiderant Angeli prospicere, semper esuriat et comedat cor meum, et dulcedine saporis tui repleantur viscera animae meae; te semper sitiat fontem vitae, fontem sapientiae et scientiae, fontem aeterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem domus Dei, te semper ambiat, te quaerat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat, te meditetur, de te loquatur, et omnia operetur in laudem et gloriam nominis tui; cum humilitate et discretione; cum dilectione et delectatione, cum facilitate et affectu, cum perseverantia usque in finem; et tu sis solus semper spes mea, salus mea, tota fiducia mea, divitiae meae, delectatio mea, jucunditas mea, gaudium meum, quies et tranquillitas mea, pax mea, suavitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, sapientia mea, portio mea, et possessio mea, thesaurus meus, in quo fixa et firma, et immobiliter sit radicata mens mea et cor meum. Amen.

96. *Deprecatio pro aliorum necessitatibus*. Domine Deus Omnipotens, Pater Christi tui benedicti Filii, exauditor eorum qui recte invocant te, cognitor precum etiam eorum qui tacent; gratias agimus tibi, quod nós dignos censuisti, qui participes essemus sanctorum tuorum Mysteriorum, quae praebuisti nobis ad plenam eorum quae bene cognovimus persuasionem, ad custodiam pietatis, ad remissionem delictorum; quoniam nomen Christi tui invocatum est super nos. Qui segregasti nos ab impiorum communione, aduna cum iis qui tibi sunt consecrati; confirma nos in veritate per sancti Spiritus adventum; quae ignoramus revela; quae deficiunt supple; quae novimus corrobora: Sacerdotes inculpatos conserva in cultu tuo; Reges tuere in pace, Magistratus in justitia, aërem in temperie, fruges in ubertate, mundum in omnipotente providentia: gentes bellicosas seda: errantes converte: popúlum tuum sanctifica: virgines conserva: conjuges custodi in fide; castos robora: debiles firma: caecos illumina: nosque omnes congrega in regnum coelorum, in Christo Jesu Domino nostro, cum quo tibi gloria, honor ac veneratio et sancto Spiritui, in saecula. Amen.

97. *Commendatio . B. M. V.* Sancta Maria, Mater Dei et Virgo, ego licet indignus qui serviam tibi, attamen de materni cordis tui clementia confisus, eligo te hodie coram Angelo meo custode, et tota coelesti curia, in meam Matrem et peculiarem Dominam, Patronam et Advocatam; firmiterque propono me deinceps tibi et Filio tuo servire velle fideliter, et adhaerere perenniter.

Obsecro te, Mater Sacratissima, per amorem quo Filius tuus, jam moriturus in cruce, semetipsum Patri suo, te vero Discipulo suo et hunc vicissim tibi comcommendavit; ut me suscipias in curam et tutelam tuam, et adsis mihi in omnibus periculis et angustiis totius vitae meae; sed praecipue in hora mortis. Amen.

Conclusio. Mane in me benignissime Jesu: esto tutamen et contina salus animae et corporis mei. Repelle a me insidiantes mihi hostes: recedant procul a praesentia potentiae tuae, ut foris et intus per te munitus, recto tramite ad Regnum tuum perveniam. Amen.

98. *Adoratio*. O Deus Trine in Perſonis, et Unus in Essentia, et tu, Domine Jesu Christe, verus Deus et Homo, ex toto corde te adoro; et confiteor te meum esse verum et unicum creatorem, salvatorem et meum ultimum finem, et quia adoratio mea nimis exigua et debilis est, tibi offero excellentes illas adorationes quas continuo tibi persolvit tua sanctissima Humanitas, et tua gloriosissima Genitrix Virgo Maria, totaque curia coelestis, ac sancta Ecclesia catholica, tua dilecta sponsa.

99. *Amor*. Insuper o Domine, ex toto corde, et tota anima, ex omnibus viribus te amo, et super omnia amare desidero; et si possibile esset, te amare cuperem illo amore perfectissimo, quo teipsum amas et quo tua sanctissima Humanitas, et gloriosissima Virgo Maria, cum tota coelesti curia et Sancta Ecclesia catholica te amant.

100. *Contritio*. Et cum, o Domine, sis infinite bonus, sapiens, potens, justus et misericors, ideo ex toto corde doleo, et super omnia detestor omnia mea peccata mortalia et venialia, quae

unquam cogitatione, verbo et opere, a primo instanti, quo usum rationis habui, usque ad praesentem horam commisi. Et loco mei imperfecti doloris, tibi offero amaram illam contritionem, quam sanctus Propheta David, sanctus Petrus, et sancta Maria Magdalena, imo omnes veri poenitentes unquam habuerunt ab origine mundi usque ad praesens; cum voluntate absoluta te nunquam amplius, adjuvante tua divina gratia, offendendi.

101. *Satisfactio*. Et quia, o Domine, in mea non est potestate, ut satisfaciam tot debitis, quibus ob mea peccata et offensas me plusqnam obligatum profiteor, ideo in satisfactionem eorum offero tibi totam vitam meam, omnia opera mea, omnes labores, poenas et dolores, quos sustinui et adhuc sustenturus sum, cum meritis Vitae, Passionis et Mortis tui unigeniti Filii, humillime petens veniam meorum delictorum, et efficacem gratiam, ut de iis ante mortem veram poenitentiam agere possim.

102. *Oblatio*. Praeterea, o Domine, cum hocce meo sacrificio me tibi totum ad tuum honorem et aeternam gloriam offero et consecro in unione illius ardentissimi amoris et purissimae intentionis,

quibus teipsum in ultima Coena nobis in cibum tradidisti, et in Ara Crucis Sacrificium cruentum pro nobis obtulisti, et loco meae exiguae praeparationis, ac praesentis meae parvae devotionis, tibi offero profundam illam humilitatem, caritatem, puritatem, cum quibus tua sanctissima Mater et omnes tui fideles et famuli ad hoc SS. Sacramentum accesserunt, et quibus ornati tui Apostoli, imo omnes sancti Sacerdotes hocce tremendum sacrificium tibi obtulerunt a prima tua institutione usque ad praesens, et quibus nunc adornata tua sancta Ecclesia catholica ubique locorum offert.

103. *Directio intentionis*. Pater coelestis, clementissime Pater misericordiarum, suscipe hodie per manus servi tui hoc sacro-sanctum Sacrificium, verum Corpus et Sanguinem Filii tui D. N. J. C.; in satisfactionem et remissionem omnium peccatorum meorum: in salutem et sanctificationem animae meae, et omnium illorum, quibus aliqua obligatione teneor: omnium Ecclesiae tuae Pastorum, ut eis gratiam Spiritus sancti impertiri digneris, ad salutem animarum suarum, et regimen totius populi christiani: omnium peccatorum hujus mundi, ut eos conver-

tas, et ducas in viam salutis: in consolationem omnium tribulatorum, ut eis adjutorium et veram poenitentiam tribuas: in refrigerium et liberationem omnium animarum existentium in purgatorio, et maxime illarum quae auxilium a me jure expectant: et ad illuminationem et conversionem omnium gentium infidelium, et haereticorum, et schismaticorum; ut cognoscant et ament te, summam Veritatem, Patrem omnipotentem, qui cum Filio et Spiritu sancto es laudabilis Deus, et benedictus in saecula saeculorum. Amen.

104. *Ad D. N. J. C.* Accende, o Jesu, igne amoris tui cor meum, quod tibi in holocaustum offero, omnesque terreni amoris flammas extingue; ut nihil in mundo mihi placeat praeter te. In amore tui vivere cupio, et mori exopto.

Vota tua, mi Jesu, haec sunt: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis; et ego reficiam vos; et expansis in cruce brachiis, me expectas. En venio, o Jesu, admitte me, obsecro, et concede, ut in amoris tui complexu, tibi semper conjunctus permaneam.

Praecipitur mihi ne appaream in conspectu tuo vacuus: sed quid dabo tibi, mi Jesu? Accipe tuae bonitatis dona, ani-

mae meae facultates, quas tibi in obsequium offero, memoriam, intellectum, voluntatem. Tui solius meminerim: nihil sciam extra te; nihil amem praeter te; nec in ulla re, mea, sed tua voluntas fiat. Amen.

105. *Ad B. V. M.* Castissima Virgo Maria, rogo te per illam innocentissimam puritatem, qua Filio Dei in utero tuo virginali placitam mansionem praeparasti, ut tuis precibus ab omni macula merear emundari.

Humillima Virgo, rogo te per profundissimam illam humilitatem, qua super omnes choros Angelorum et sanctorum meruisti exaltari, ut tuis precibus suppleantur omnes negligentiae meae.

Amabilissima Virgo Maria, rogo te per singularem ac tantum illum amorem, qui sanctam animam tuam inseparabiliter Deo conglutinavit, ut tuis precibus praestetur mihi copia requisitorum meritorum. Amen.

106. *Ad Sanctos*. Angeli, Archangeli, Troni, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes coelorum, Cherubim ac Seraphim, omnes Sancti et Sanctae Dei, maxime vos N. N. quorum hodie memoriam agimus, succurrite mihi, quaeso,

precibus vestris : ut SS. hoc Sacrificium viva fide, ferventi caritate et plena devotione perficiam; perque ejus continuum et salutiferum usum, vestro dignus consortio tandem inveniar. Amen.

Sabbato post Missam.

107. *Adoratio*. Ave verum Corpus, natum de Maria Virgine: vere passum, immolatum in cruce pro homine: cujus latus perforatum unda fluxit cum sanguine. Esto nobis praegustatum mortis in examine. O Jesu dulcis! O Jesu pie! O Jesu, Fili Mariae!

108. *Pii Affectus*. Mirantur, bone Jesu, creaturae omnes, te in purissimum Mariae Matris tuae uterum descendisse; cum tamen integerrima illa, et omni virtute ac gratia refertissima fuerit. An non mirari magis debeo, quod volueris ad me divertere, a me recipi, a me teneri, paupere, nudo, misero, miserabili?

Tu, Domine, Sanctus sanctorum, non ne dignatus es in me manere qui sum sordes peccatorum? Itane voluisti honorare me qui tamdiu fui immundum vas, ut fierem templum tuum, tabernaculum tuum, et quasi theca sacrarum Reliquiarum Corpo-

ris et Sanguinis tui, quae longe omnes Sanctorum reliquias excedunt? Benedicant te omnes Angeli tui, pro tanta in me dignatione. Effice ergo, ut jam' sciam, et sciam semper vas meum possidere, non in passione desiderii, sicut gentes quae ignorant Deum, sed in sanctificatione et honore.

Da mihi, dulcissime Jesu, praesentiae tuae effectus persentire. Memini benedictionum quibus cumulasti eos qui te aliquando in domum suam exceperunt: Maria, Mater tua, ubi te in suum recepit uterum, omnibus gratiae nobis repleta est. Zachaeo publicano cujus usus es hospitio, salus a Deo facta est. Simul atque, obita pro nobis morte, in Lymbum descendisti, illum in paradisum quemdam commutasti. Domum Obededom et omnia ejus, propter Arcam testamenti, large benedixisti. Benedic quoque domum cordis mei, in quam ingressus es: eam, quaeso, in Paradisum converte, et tuo sancto imple Spiritu.

Memini, piissime Jesu, sacris de te litteris esse mandatum, quod omnis turba quaerebat te tangere, quia virtus de te exibat, et sanabat omnes. Ecce ego te jam non tetigi tantum, sed in me

quoque recepi : exeat, quaeso, a te virtus illa divina quae sanet animam meam, curet omnem ejus langorem, et novas ei addat vires, ad serviendum tibi omnibus diebus in sanctitate et justitia.

109. *Gratiarum Actio*. O dulcedo cordis mei, et vita animae meae, et jucunda requies spiritus mei, dulcis Jesu! immortalis tibi ago gratias pro omnibus beneficiis mihi collatis; signanter vero, quia hodie me dignum fecisti, verum et immaculatum Corpus et Sanguinem tuum pretiosissimum consecrare, pertractare, illudque tibi offerre in memoriam tuorum mirabilium, ad tuam gloriam, et in remissionem omnium peccatorum, tam meorum, quam illorum pro quibus orare et offerre proposui, illoque in salutem et consolationem animae meae cibari et nutriri. Quapropter vere dicere audeo : Cibus meus Christus, et ego ejus. Multiplico ergo, et quotiescumque respiro, multiplicare intendo meam voluntatem in infinitum in tuis laudibus: precorque Beatissimam Virginem, Angelos, Sanctos, Sanctas, et universas creaturas, pro me immensas tibi referre gratias. Imo quia ista minime sufficiunt, te supplico, ut tibiipsi gratias agere,

te laudare et glorificare complaceas: et quia dignatus es istam indignam, tuam tamen facere habitationem; dignare quoque apud ipsam perpetuam facere mansionem. Effice me hominem secundum cor tuum. Uni' me tibi intime, et totum transforma ac transmuta in te. Salva me, Jesu Christe, et cunctam a me hostis antiqui depelle nequitiam, per tuam innocentissimam Passionem. Oro itidem, ut digneris gratias et indulgentias omnes quas hoc sacrificio vel communione mediante acquirere et lucrari possum, concedere, tam mihi, quam aliis vivis et defunctis quibus applicare proposui: quia te ipsum, et pro ipsis exoro, pro quibus et tu vis, et sanctissimus Pontifex intendit hac de causa me debere orare, Amen. *Pater noster*, *Ave Maria*.

110. *Oblatio et Petitio*. Adoro te et gratias ago tibi, benignissime Domine Jesu Christe, qui me vilissimum peccatorem admittere dignatus es ad splendidum, vivificumque sacrae Mensae convivium. Heu mihi! quia nimis indigne complevi hoc sanctum Sacrificium. Miserere mei, ignosce mihi. Ego quod egi commendo divino Cordi tuo emendandum et corrigendum. Suscipe, quaeso, haec

sacrosancta Corporis tui Mysteria quae tibi obtuli, ad gloriam nominis tui sempiternam; ad honorem dulcissimae Genitricis tuae Virginis Mariae, ad honorem omnium Sanctorum tuorum omniumque beatorum Angelorum; ad salutem meam et omnium fidelium, tam vivorum quam defunctorum. Suscipe hoc praecellentissimum Sacramentum in plenam emendationem, expiationem atque satisfactionem pro omnibus peccatis ac negligentiis meis, et pro peccatis totius mundi.

Per illud sanctifica, o piissime pater, Ecclesiam tuam; aufer ab ea omnia scandala et schismata, ut fiat unum ovile et unus pastor; per illud effunde misericordiam tuam in gentes quae te non noverunt, et illumina corda illarum, ut te cognoscant et ament; per illud dissipa concilia impiorum, ne regno tuo officiant, et propagationi gloriae tuae: Da Summo Pontifici, Praelatis et ordinibus Ecclesiasticis divinum tuum amorem, ut suo officio rite fungantur; Regibus, Principibus, cunctisque magistratibus Sapientiam qua justitiam fideliter administrent, pacemque sequantur; ac populo tuo tuam largire benedictionem; tribue agonizantibus ve-

ram contritionem, tuumque amorem, inimicis meis tuam caritatem et dulcedinem, amicis, benefactoribus et consanguineis tuam dilectionem: nosque et omnia nostra dirige; ut cultus tuus semper et ubique vigeat et perseveret; animabus in purgatorio detentis, illis maxime quae ſuffragiis nostris plus indigent, vel quibus ſum obligatus, requiem sempiternam concede, ac beatam tui fruitionem.

III. *Obsecratio pro peccatoribus*. Aeterne rerum omnium effector Deus, memento abs te animas peccatorum esse procreatas, easque ad imaginem et similitudinem tuam conditas. Ecce, Domine, in opprobrium tuum, his ipsis infernus impletur. Memento Jesum Filium tuum pro illorum salute atrocissimam subiisse necem. Noli, quaeso Domine, ultra permittere ut isti in iniquitatibus suis perseverantes, Filium tuum omnium Salvatorem contemnant: sed precibus sanctorum tuorum, et sanctissimae Ecclesiae ejusdem Filii tui sponsae placatus, recordare misericordiae tuae; et oblitus inobedientiae et praevaricationis eorum, effice ut et ipsi tandem ex toto corde convertantur ad eum quem misi-

sti, Dominum nostrum Jesum Christum, per quem salvati et liberati sumus, cui sit gloria per infinita saecula saeculorum. Amen.

112. ***Ad B. V. M. et Sanctos***. O Gloriosissima Virgo Maria, vosque omnes Sancti et Electi Dei, respicite in me, quia dignum objectum oculorum vestrorum nunc factus sum. Loquimini pro me bona summo Regi, qui me Corpore et Sanguine suo suavissime refecit; et offerte ei merita vestra, in supplementum imperfectionis meae. Gratias agite ei pro pro me, et postulate ut sacramentali sua psaesentia non recedat a me, nisi relinquat post se animae meae largissimam benedictionem.

113. *Conclusio*. Adjuvet nos gratia tua omnipotens Deus, ut qui officinm sacerdotale suscepimus, digne et devote tibi cum omni puritate et in conscientia bona famulari valeamus. Et si non possumus in tanta innocentia vitae conversari, ut debemus; concede nobis tamen digne flere mala quae gessimus; ut in spiritu humilitatis, ac bonae voluntatis proposito, tibi ferventius deservire valeamus. Amen.

PRO VISITATIONE

SS. SACRAMENTI

Cum multae ex praecedentibus Precibus possint in Sanctissimi Sacramenti Visitatione, paucis mutatis, adhiberi, inde sequens offertur qui orationum huic sacro exercitio magis congruentium locum indicabit.

Invocatio S. Spiritus. *Collectae Praeparationis ex Missali Romano: pag* 375.
Oratio: *pag*. 382. *item* Num. 87.
Adoratio. N. 33, 55, 98, 107.
Humiliatio. N. 6, 34,
Contritio. N. 2, 17, 65, 84, 100, 101.
Actus Virtutum Theologicarum. N. 3, 4, 5, 18, 19, 20, 36, 37, 38, 51, 65, 66, 67, 85.
Actus Amoris ad Jesum Crucifixum. N 91, 104.
Pii Affectus meditandi. N 8, 23, 42, 43, 15, 74, 75, 78, 90, 95, 108.
Oblatio. N. 10. Oblatio sui. N. 11, 77,
Orationes diversae. N. 12, 30, 36, 57, 112.

Speciales Deprecationes pro neceſſitatibus proximi . N. 31 , 58 , 96.
Pro Converſione peccatorum . N. 111.
Reparatio ſacrilegiorum . N. 94.
Gratiarum Actio . N. 61.
Ad B. V. M. N. 13, 26, 47, 59, 71, 88, 97, 105.
Ad Sanctos : N. 14, 27, 41, 60, 81, 89.

INDEX

TOTIUS OPERIS

Ad venerandos Christi Ministros Sacerdotes Catholicos Editoris proloquium . pag.III

Caput I. *De Vocatione ad statum Sacerdotalem .* pag.1.

Cap.II. *De statu Sacerdotali .* 7

Cap.III. *De necessitate perfectionis in Sacerdotibus .* 12

Cap.IV. *De possibilitate perfectionis in saeculo .* 16

Cap.V. *De mediis ad perfectionem assequendam .* 19

Cap.VI. *De paucitate Electorum .* 23

Cap.VII. *De Gravitate peccatorum in Sacerdotibus .* 28

Cap.VIII. *De malis oriundis ex improba Sacerdotum vita .* 33

Cap.IX. *De bonis oriundis ex Sancta Sacerdotum vita .* 37

Cap.X. *De Morte .* 40

Cap.XI. *De Judicio extremo .* 46

Cap.XII. *De inferno .* 58

Cap XIII. *De gemitu Sacerdotis in inferno* . 58
Cap.XIV. *De coelesti Gloria* . 62
Cap.XV. *De religiosissima Devotione erga Dominum Jesum Christum* . 68
Cap.XVI. *De Passione D. N. J. C. jugiter memoranda* . 74
Cap.XVII. *De sincera devotione erga Beatissimam Virginem Mariam* . 82
Cap.XVIII. *De ardore Animi ad Divina* . 87
Cap.XIX. *De Tepore* . 89
Cap.XX. *De pura intentione* . 91
Cap.XXI. *De studio fundamentalium virtutum* . 96
Cap.XXII. *De Humilitate* . 100
Cap,XXIII. *De humilitate sui ipsius.* 107
Cap.XXIV. *De odio sui ipsius* . 112
Cap.XXV. *De fiducia in Deo habenda*. 119
Cap.XXVI. *De Puritate Conscientiae* . 126
Cap.XXVII. *De frequenti Confessione.* 129
Cap.XXVIII. *De Peccato Veniali* . 135
Cap.XXIX. *De Poenitentia peccati Venialis* . 137
Cap.XXX. *De frequenti sacrificii oblatione* . 140
Cap.XXXI. *De indigna celebratione* . 145
Cap.XXXII. *De praeparatione ad Missam* . 147

Cap.XXXIII. *De Gratiarum actione post Missam* . 150
Cap.XXXIV. *De oratione mentali* . 153
Cap.XXXV. *De variis orationis mentalis speciebus* . 156
Cap.XXXVI. *De tempore orationis mentalis* . 160
Cap.XXXVII. *De consuetis actionibus bene peragendis* . 162
Cap.XXXVIII. *De visitatione Sanctissimi Sacramenti* . 167
Cap.XXXIX. *De examine Vespertino*. 171
Cap.LX. *De Studio et Lectione* . 174
Cap.XLI. *De lectione Sacrae Scripturae* . 178
Cap.XLII. *De officio Divino* . 183
Cap.XLIII. *De officiis publicis* . 186
Cap XLIV. *De cura Ecclesiarum et altarium* . 189
Cap.XLV. *De zelo animarum* . 191
Cap.XLVI. *De residentia Pastoris* . 195
Cap.XLVII. *De vigilantia Pastorali* . 198
Cap.XLVIII. *De catechizandis parvulis* . 203
Cap.XLIX. *De Pauperibus et Rudibus erudiendis* . 207
Cap.L. *De Praedicatione Verbi Divini* . 210
Cap.LI. *De confessionum auditione* . 216

Cap.LII. *De misericordia in Sacro Poenitentiae tribunali tenenda.* 219
Cap.LIII. *De Zelo pro Peccatorum conversione.* 228
Cap.LIV. *De oratione pro Peccatoribus.* 231
Cap.LV. *De cura infirmorum.* 233
Cap.LVI. *De benigna caritate erga Proximum.* 238
Cap.LVII. *De robore Animi.* 241
Cap.LVIII. *De prudentia et Simplicitate.* 245
Cap.LIX. *De Mansuetudine.* 248
Cap.LX. *De Dei amore.* 252
Cap.LXI. *De praesentia Dei.* 258
Cap.LXII. *De Patientia.* 264
Cap.LXIII. *De Scandalo.* 269
Cap.LXIV. *De castitate.* 276
Cap LXV. *De Ambitione.* 280
Cap.LXVI. *De avaritia.* 285
Cap.LXVII. *De bonorum Ecclesiasticorum Dispensatione.* 290
Cap.LXVIII. *De Eleemosyna.* 293
Cap.LXIX. *De Temperantia.* 301
Cap.LXX. *De modestia in vestibus.* 308
Cap.LXXI. *De Domo Sacerdotis.* 310
Cap.LXXII. *De Summo Romano Pontifice capite visibili Ecclesiae, Christi in terris Vicario.* 314

Cap.LXXIII. *De obedientia Episcopo praestanda* . 318
Cap.LXXIV. *De Amicis seligendis* . 322
Cap.LXXV. *De unione caritatis invicem tenenda* . 327
Cap.LXXVI. *De Libris prohibitis* . 335
Cap.LXXVII. *De Prudentia erga Foeminas servanda* . 342
Cap.LXXVIII. *Quod consueta aliorum norma non debeat esse Sacerdotis Regula* . 346
Cap.LXXIX. *De recte sancteque vivendi Regula* . 350
Cap.LXXX. *De Sacro secessu* . 356
Cap.XXXI. *De tempore adeundi Sacrum secessum, et modo se in eo gerendi* . 363
Praeparatio ad Missam ex Missali Romano . 369
Gratiarum actio post Missam . 377
Die Dominica ante Missam . 384
post Missam . 390
Feria II. ante Missam . 397
post Missam . 402
Feria III. ante Missam . 410
post Missam . 415
Feria IV. ante Missam . 422
post Missam . 428

Feria V.	*Ante Missam.*	435
	post Missam.	441
Feria VI.	*ante Missam.*	449
	post Missam.	454
Sabbato	*ante Missam.*	461
	post Missam.	466
Pro visitatione SS. Sacramenti.		473

AG 2013533

Digitized by Google